EXAMEN THOMISTICUM,

ET SCRVTINIVM THEOLOGICVM,

per varia Theologiæ Puncta distributum, extraneis innixum testimonijs, ad ostensionem veritatis.

IN LVCEN EDITVM

OPERA, ET STVDIO D. MARTINI DE HOZ, Presbyteri, S. Th. P.

DICATVM

D. PETRO DE ARBVES, INCLYTO MARTYRI, Aragoniæ Inquisitori, & Augustæ Metropolis Canonico insigni.

SANCTISSIME MARTYR:



Vibus te laudibus prædicem, Invicte Petre? *robur pectoris tui, & perseverantiam fidei, quo præconio vocis exornem?* Desiderasti utique, in Augusta Metropolitana Basilica Canonicus institutus, ut exprimere solebas, *ex malo Sacerdote bonus fieri Martyr*; atque hanc tuæ humilitatis, & fervoris sententiam, Deus ita erexit, quòd, iterato perfidiæ judaicæ affectus vulnere, non modò quasi bonus Sacerdos, sed etiam vissus es, quasi acceptabile Sacrificium, dum orans in Templo, ipsius pavimentum proprio effuso sanguine purpurasti. Certè Agni signaculo, tua decoratur Ecclesia, & stolam tuo cruore tingens, Agnum secutus es, & accepisti palmam. Inquisitoris, quàm optimè, munus implesti, judaicam exterminans perfidiam, Veronensem utique Petrum imitatus, Fide, zelo, Religione; ut quod ille adversus hæreticos gessit in Italia, tu contra Judæos in Aragonia compleveris, æquo fidei aordore, & æquo veritatis testimonio, duplici ictu, læthaliter, & lætanter affectus. Sed quorsum tendit, hæc mea venerationis piæ significatio?

S. Cypr. lib. 2. epist. 6.

352 1 Post causæ examen libera mansit, & incolumis scientia media.

2 Post causæ examen non mansit libera, & incolumis scientia media.

Prima propositio est P. Perrini, ubi supra, num. 340. *& apud Auctores contrarios communis; qua propter in Thesibus Cadomensium die* 13. *Maij* 1699. *sic scriptum erat*: Ea doctrina (*scilicet P. Molinæ*) multis in locis judicia multa subjit; & habuit ubique præclara innocentiæ testimonia; ubique victoriæ defensivæ palmam obtinuit. *Sic P. Aranda disp.* 26. *sect.* 1. *Marin hic disp.* 11. *sect.* 1. *Imò Aranda, in Præfac. lib.* 5. *num.* 1. *addidit*: Tandem ex Decreto Pauli V. Pontificis Maximi permissa liberè doceri, evulgarique, plaudente litterarum orbe, victoriam reportavit.

Secunda propositio est P. Henao, qui, ut vidimus num. 339. *fatetur, censores*, reas peregisse innumeras propositiones Molinæ. *Et event.* 3. *num.* 120. *advertit*, quod ipsi censores, meliori consilio, cum sexaginta antea propositiones, præsertim, reprobassent, postmodum ad viginti sese coarctarunt; circa quas, censuræ, & si limatiores, hominum sunt quærentium nodum in scirpo, salebras in plano, parum expertorum in negotio Theologico. *V.* 339. *in* 2. *proposit.*

353 1 Post censuras Theologorum, lata est sententia, in favorem scientiæ mediæ.

2 Post censuras Theologorum, non est lata sententia, in favorem scientiæ mediæ.

Prima propositio est apud P. Henao event. 14. *num.* 366. *qui ex P. Ripalda ait*: Tandem die 28. Augusti, D. Augustino sacra anni 1606. (*vel* 1607. *apud alios*) majori, melioríque censorum parti adhærens (*Pontifex*) cum eisdem Cardinalibus pronunciavit, ut omnis doctrina Molinæ indemnis consisteret. *Sed unde hoc? Audi ex ipso*: Demum completa censura omnium, quæ disputata fuerant, traddita est Pontifici; qui conveniens cum solis Cardinalibus, eam perpendit, sententiamque de re tota, juxta mærita causæ sanciendam contulit. *Quibus ex parte consonat epistola encyclica P. Claudij Aquaviva, data* 15. *Septembris anni* 1607. *totam Societatem sic monens*: In negotio de auxilijs, facta est potestas à Summo Pontifice, cùm disputatoribus, tùm consultoribus, redeundi in Patriam, aut domos suas, additumque fore, ut sua sanctitas declarationem, quæ expectabatur, opportunè promulgaret. *Imò ipse Henao loco citato, concludit*: Illud clarè dicitur à Ripalda, majorem partem censorum nobis præbuisse vocem suam.

Secunda propositio est P. Henao, qui, suis contradicens, his verbis negotium exprimit event. 4. *num.* 137. Patentissimum est Christiano Orbi, neque Clem. VIII. neque Paulum V. quid quam decrevisse, sivè voce, sivè scripto, contra opinionem Societatis Jesu. *Perpende lector, ly*: Decrevisse, sivè voce, sivè scripto, *ubi apertè contradicit P. Ripaldæ, cujus testimonio utitur, & in quo patet, fuisse decretum, & sententiam, solumque expectari promulgationem, prout ex litteris P. Aquavivæ constat.*

354 *Sententia ergo lata est, sed non promulgata. Fatentur Thomistæ, non*

Dicam planè. Opuſculum hocce examen eſt Theologicum, & ſcrutinium Thomiſticum, firmo jure tibi directum, non modò, quia Magiſtro, Doctoris Theologiæ Laurea Bononienſi decorato, verum Academiæ Cæſarauguſtanæ ornamento nobili, & præclaro lumini, primævam ejus inſtitutionum legibus illuſtranti. Si enim vetuſta ſcrutemur monumenta, apparet conſtans, quod Pontificia, & Regia favente manu, Sixti IV. ſcilicet, & Joannis Aragoniæ Regis, alijs Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicis adjunctus, & quæ ſtudia promovent, & quæ Divinum Cultum fovent, ſanctiore firmaſti Sed, ita D. Thomæ Angelicæ Doctrinæ addictus, quòd, poſt S. Nicolai in Metropolico Templo ſtatutam venerationem, viſitari quot annis D. Thomæ Capellam, ſolemni Academiæ, decreveris, apparatu. Sic enim illud inſonuit ſtatutum. *Novìſsimè in cultu divino ſtatuit ſibi Vniverſitas viſitare Capellam S. Thomæ de Aquino Illuſtriſsimi Doctoris, & Sancti, ad Fratres Prædicatores, & hoc veſpere, & mane ſuæ feſtivitatis; ſed ſine præfata proceſsione* (quæ erat ordinata pro S. Nicolao ad Templum Metropolitanum) *Rector cum Graduatis, & Regentibus Vniverſitatis, Bedello præcedente, honorificè viſitabit hoc Sanctuarium dictum, utpotè in cujus vigilia Vniverſitas ipſa ſuum fecerat principium; decenter enim decretum eſt, ut in eo finiatur cultus divinus, à quo ſumpſit initium.* Forſitàn, ſingularis elucet Dei Providentia, qua, illud tuum ſuperpelliceum, Eccleſiaſticæ functionis ornamentum (vulgò *Roquete*) ſacrilegi pugione perforatum, & adhuc tuo ſanguine cruentum, in prædicto Dominicano cœnobio ſit, in arcula argentea clauſum, & reverenter cuſtoditum, ut qui D. Thomæ auxit venerationem, apud Thomæ Diſcipulos firmet pietatem. Non igitur, abs re, iſtud Thomiſticæ opuſculum diſcuſsionis, tibi nuncupatur; maximè cum tuæ Academiæ, & Scholæ ſim ſigna ſecutus. Suſcipe, ergo, (Sanctiſsime Petre) hoc exiguum munuſculum, in devotionis ſignum, & gratitudinis Argumentum.

D. Ioan. Ludovic. Lopez in libro edito Cæſarauguſt. 1672. p. 57. num. 68. & pag. 238. n. 204.

Obſequens tibi, & devotione proſtratus
Martinus de Hoz.

CEN-

*promulgationem esse in favorem scientiæ mediæ, sed negant, illi favere sen-
tentiam. Et quia Innoc. X. in suo Decreto voluit, negari fidem*, quibus-
dam assertis Actis manuscriptis, & forsan typis excusis:: sub nomine
Francisci Pegnæ:: & Fratris Thomæ de Lemos:: aliorumque Præla-
torum, & Theologorum, qui, ut asseritur, prædictis interfuerunt con-
gregationibus; *ideo, quidquid de hoc scriptum invenitur apud Card. de
Noris in vindicijs Augustinianis cap. 6. apud Philippum Vice comitem,
Augustinianum, & Episcopum Catacensem ad cap. 4 lib. 8. Augustini vin-
dicati; apud Iacobum Boonem, Archiepiscopum Mecklíniensem in parte 2.
Gallicæ defensionis cap. 1. & apud alios gravissimos Auctores, P. Henao,
& alij Adversarij, fabulosum volunt esse, & fictitium. Negemus igitur
illis fidem, & illam Adversarijs præbentes, ex eorum testimonio, colligi-
mus latam esse sententiam, quamvis non promulgatam. Cui autem illa fa-
veat? Meditare. Quis retardavit, & retardat illius sententiæ promulga-
tionem? P. Bastida, ut vidimus ex Henao, coegit, sua oratione, Pontificem
ad disputationem de Prædeterminatione, quam impediebant Dominicani*,
ne viderentur esse jam quasi Rei, cum tamen ad Tribunal Pontificium
accessissent tanquam Actores. *Quid ergo, tota Societas, per tot annos, Pon-
tifices non coegit ad sententiæ promulgationem, quæ ita pronunciatur in fa-
vorem scientiæ mediæ?*

*Certè Ill. & V. D. Fr. Ioannes Baptista de Lanuza Episcopus Barbas-
trensis, & Albaracinensis, cum esset Præsul Provinciæ Aragoniæ, anno* 355
1608. *libellum supplicem exhibuit Philippo III. Hispaniarum Regi, ut apud
Paulum V. illius sententiæ promulgationem foveret. Deinde: totus Ordo
Prædicatorum, sub Mag. Generali, Serafino Sico, Romæ electo, cum
omnium vocalium subscriptione die* 12. *Iunij* 1612. *libellum suppli-
cem dedit Paulo V. rogans pro definitione controversiæ illius, & decreti
promulgatione. Iterum, totus Ordo Prædicatorum, circa idem, supplicavit
Gregorio XV. Rursus, Vrbano VIII. die* 24. *Septembris* 1627. *Denique
Innocentio XI. anno* 1681. *semper idem postulat. Ostendant nobis Adver-
sarij signa sollicitudinis, pro illius sententiæ promulgatione; & perpendat
lector, cuinam ex duabus partibus litigantibus faveat sententia, dum pars
una promulgationem retardat, altera toto conatu, & sollicitudine procurat.
Si autem solus Bastida coegit Pontificem, ad controversiam de Prædetermi-
natione, contra Dominicos repugnantes, ut fingit Henao, juxta dicta num.*
343. *quid quòd tota Societas ita potens, hucusque Pontifices non coegit ad
sententiæ promulgationem, quæ favens illi, proclamatur?*

At festivum est, quod Henao event. 4. *num.* 151. *narrat de Clem.
VIII. opusculum P. Suarij de auxilijs contrectante, & nocte quadam, punc-
tum de quo sequenti die erat disputandum, meditante. Cum enim somno
corriperetur, cereus incendit syndonis partem, marginesque libri; vocatoque
cubiculario, hic, Pontifici exprimenti malum omen pro Societatis doctrina,
respondit:* Quinimo venia vestræ sanctitatis, optimum, est, nam si ves-
tra sanctitas dignetur advertere, videbit, neque unam libri liberam,
igne fuisse tactam, & si margines conflagrarint; quo præmonstratur,

a

CENSURA

R. A. P. Fr. PETRI A TRINITATE, ORDINIS Discalceatorum Carmelli, Provinciæ almæ Matris Theresiæ, in Aragonia olim semel, ac iterum Provincialis, nunc verò Conventus S. Ioseph Civitatis Cæsaraugustæ Prioris.

JUssu, & Comissione D. D. Joannis Emmanuelis Castañon, Majoris Collegij Complutensis alumni, & Archiepiscopatus Cæsaraugustani Vicarij Generalis pro Illust. D. D. Thoma de Aguero, Archiepiscopo Cæsaraugustano, &c. Legi: opus inscriptum: *Examen Theologicum per varia puncta distributum*, quod publicam lucem appetit, cura, studio, ac labore Domini Martini de Hoz, Sacræ Theologiæ Scholasticæ, & Moralis Professoris, &c. Nulli ab inversa affectione immuni dubium erit, rectè Auctorem incedere; incessum autem ejus, existimo non inidoneè apis in natura monstrari. Apes enim super lilia lemmate nobilitantur: *Legunt, non lædunt*. Vel ut placuit D. Aresio: *Delibant, non Carpunt*. Studiosi viri hæc Imago est, qui eruditorum volumina, ita in usum, ac omnium profectum convertit, ut ipsorum doctrinæ, nec minimum inde decrescat. S. Joannes Chrysostomus lucidè ad rem alloquitur: *Apiculæ levibus pennis arborum, & hervarum floribus insident, latentemque in flosculis liquorculum innocua deprædatione aveunt, ut tandem dulcissimos mellis favos hominibus præstent*. Quare Henricus Engelgrave illi aposuit: *Visitat, haud vitiat*. Ieoque Salvator Cartucius:

Mund. Symb. lib. 8. cap. 1. num. 15.

In Psal. 115

Ubi sup. n. 12

Visitat, haud vitiat lætos apis inclyta flores
Innocuo inspector sic pede corde præmat.

Sed quia opus *Examen* est, quasi examen apum, Auctorum Congeries doctrinam dulcore replet; ideoque illud, quia exiguum non contemnendum putes; cum, quidquid legentis studium exoptat in exiguo opere reperiatur; qualiter api inscribitur: *Parva, sed non segnis*. Huc respexit Siracides, illam describens: *Brevis in volatibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius*. Et cum Catone canimus:

Eccles. 11. v. 12.

Cor-

Corporis exigui vires contemnere noli;
Ingenio pollet, cui vim natura negavit.

Hoc igitur opus, exiſtimo veritati conſonum, ſtudioſis utile, & bonis moribus nulla ex parte contradicens, ſed omnia Doctorum placita, accuratè diſcernens; quare dignum cenſeo, quod publicam videat lucem, ſic ſentio, &c. In hoc Carmelitarum Diſcalceatorum Cæſarauguſtano Conventu die 28. Aprilis 1732.

Fr. Petrus à Trinitate.

IMPRIMATVR.

Caſtañon, Vic. Genl.

APPROBATIO

R. A. P. Fr. MICHAELIS CRESPO, ORDINIS Minorum Regularis Observantiæ, in Sacra Theologia Lectoris Iubilati, Propositionum Fidei Censoris, & Qualificatoris, Episcopatus Iaccetani Examinatoris Synodalis.

SEnatus Summi Hiſpaniarum Juſsibus obtemperans, vidi opus, inſcriptum: *Examen Thomiſticum, per varia Theologica puncta diſtributum, &c.* Vidi, inquam, opus Examinis, in quo Author ſtylo acri, & vivido, quaſi Apis argumentoſa, Sapientiam Antiquorum, & Recentiorum libans, præbet ſeipſum vivum in multis argumentis, & Punctis, ut probet, Prædeterminationis phyſicæ antiquam, & præclaram originem manere alta (quippè Divina) mente repoſitam, & in ſplendoribus Sanctorum conceptam. *Habet interdum* (fateor cum meo Sapientiſsimo P. Macedo) *impetus vehementes, ſed non (opinor) aſperos, neque noxios: urget, ſed non pungit in Punctis: : & quidem decent diſputantes aculeata dicteria, ſed citra ictus, extra injuriam.* Nihil ergo reperi, vel Orthodoxæ Fidei diſſonum, vel Regijs Sanctionibus adverſum, quod rigidi Cenſoris animum poſsit offendere: redolet namque Doctrinæ gravitatem, Eruditionis copiam, perſpicuum dicendi genus, ſingularem invocandi Authores dexteritatem; nam quos Prædeterminatio patiebatur Actores, habet in cauſa Advocatos, vel invitos. Quare dignum cenſeo, ut opus prodeat in lucem, & in prælum. Salvo ſemper, &c. Datum in hoc S. P. N. S. Franciſci Regio, Cæſaraugustano Conventu, die 18. Februarij, anni 1732.

In Prologo tom. 2. collat. &c.

Fr. Michael Creſpo.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DOn Pedro Manuel de Contreras, que sirvó, y exerzo las ausencias, y enfermedades de D. Joseph de Bordonaba, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, y de Govierno del Consejo, por lo tocante à los Reynos de la Corona de Aragon: Certifico, que por los Señores de èl, se ha concedido licencia à Don Martin de Hoz, Presbytero Cesaraugustano, para que por una vez, y sin incurrir en pena alguna pueda imprimir, y vender un Libro que ha compuesto, intitulado: *Examen Thomisticum*, guardando en la dicha impression lo dispuesto por las Leyes, y Pragmaticas de estos Reynos; y con que antes que se venda, se trayga ante los dichos Señores del Consejo, junto con certificacion del Corrector, de estàr conforme à su original, para que se tasse el precio à que se ha de vender. Y para que conste donde convenga lo firmè en Madrid à 6 de Febrero de 1732.

Don Pedro Manuel de Contreras.

SVMA DE LA TASSA.

DOn Pedro Manuel de Contreras, que sirvo, y exerzo las ausencias, y enfermedades de D. Joseph de Bordonaba, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, y de Govierno del Consejo, por lo tocante à los Reynos de la Corona de Aragon: Certifico, que aviendose visto por los Señores de èl un Libro, intitulado: *Examen Thomisticum*, su Autor el Lic. Don Martin de la Hoz; vezino de la Ciudad de Zaragoza, que con su licencia ha sido impresso, le tassaron à seis maravedises cada pliego, el qual parece tiene veinte y nueve, que à dicho respecto monta ciento y setenta y quatro maravedises, sin principios, ni tablas, à cuyo precio, y no à mas, mandaron se venda, y que esta tassa se ponga al principio de cada libro, para que se sepa el precio à que se ha de vender; y para que conste, lo firmè en Madrid à treinta y uno de Mayo de mil setecientos treinta y dos.

Don Pedro Manuel de Contreras.

MENDA SIC EMMENDA.

PAg. 11. lin. 7. esse, lege *esset*. Ibidem lin. 12. honum, lege *bonum*. Pag. 17. lin. 20. minum, lege *mirum*. Pag. 21. lin. 21. contrarioum, lege *contrariorum*. Pag. 29 lin. 37. jugolstadij, lege *Ingolstadij* Pag. 36 lin. 15. fecutus, lege *secutus*. Pag. 43. lin. 29. tuaditione, lege *traditione*. Ibi lin. 33. Augustinianns, lege *Augustinianus*. Ibidem lin. 34. cancionator, lego *concionator*. Pag. 57. lin. 20. incidentur, lege *incidenter*. Pag. 60. lin. 10. ferivolum, lege *frivolum*. Pag. 63. lin. 6. vissionem, lege *vissionis*. Pag. 91. lin. 10. reverentium, lege *reverentiam*. Pag. 108. lin. 44. prædeterminas, lege *prædeterminans*. Pag. 132. lin. 44. liberam, lege *litteram*.

Liber, cujus titulus est, *Examen Thomisticum,&c.* nunc primum in lucem editus per L. D. Martinum ab Hoz, Presbytero Cæsaraugustano, demptis hiscemendis, suo originali est conformis. Matriti septimo Kalendas Junias anni 1732.

L. D. Emmanuel Garcia, & Alesson,
C. M. Generalis Corrector.

JV-

JVDICIVM APOLOGETICVM

R. A. P. M. Fr. THOMÆ MADALENA, OLIM, VESPERTINÆ, & Primariæ Cathedræ Theologiæ, in Augusta Academia Moderatoris, Regij Prædicatorum Conventus Prioris, Provinciæ Aragoniæ Vicarij Generalis, Cæsaraugustanæ Diœcesis Synodalis Examinatoris, & nunc, in præfato Conventu Studiorum Regentis.

Principium verborum tuorum veritas. Psal. 118. v. 160.

LEgi, & summa cura contrectavi opusculum hocce, quod *Examen Thomisticum* exponitur, quasi scrutinium Theologiæ, ubi, non ejus puncta, per rationum momenta discernuntur, sed Auctorum sensa, eorum voluminibus productis, accuratè examinantur. Non est igitur, hujus propositum opellæ, Scholæ Thomisticæ recantare præconia, aut refricare laudes D. Thomæ, quem omnes exaltant in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum commendant; laus enim ejus, in Ecclesia Sanctorum; plurium, videlicet, qui illius articulis inhærentes, jam diu coluntur in Ecclesia, quia jam diu coronantur in gloria. Extra Religiosorum Ordinum Sanctissimos viros, quos in opusculi puncto Auctor numeravit, singulariter eminent, Carolus Borromeus, & Nerius Philippus. Ille, enim, quasi D. Thomæ ferventer addictus, Cardinalem Batorium Episcopum Varmiensem, sic, ad sui regiminis institutionem præmonuit: *Oportet te domi habere Doctorem, doctrina æquè, ac moribus gravem, D. Thomæ sectatorem.* Iste, autem, scilicet S. Philippus Nerius, (teste Hieronymo Bernabeo Oratorij Presbytero) *S. Thomæ sententiam sequebatur; cujus etiam vitæ sanctitatem mirificè coluit. Quam obrem Summam ejus Theologicam in manibus ferè semper habebat; & si quid aliquando ex Theologicis decretis in controversiam adducebatur, statim ad Angelicum Doctorem provocabat.* In alijs sanctorum libris (ajebat) *se reperire spiritum Dei, sed in Summa S. Thomæ venam spiritus Dei.* His, quasi incidenter prælibatis, ea libet exprimere, quæ sint hujus opusculi prolusio, & matura lectorum præmonitio.

Harnay in orat. habitâ Lovanij.

Bernab in vita S. Philippi.

Paulus Frigerius in vitâ S. Thom. lib. 1. cap. 7. ex Petro Consolino S. Philippi Discipulo.

Plura, certè scrutatus est Auctor, ut emmendaret scripta aliorum, qui *defecerunt scrutantes scrutinio*; & mirati sumus, objectiones perpendentes, quod *diminutæ sint veritates à filijs hominum*, & maximè ab aliquibus, qui suæ Scholæ nimio affectu præocupati, ut illi robur auctoritatis addant, quidquid legerint, propriæ accomodant opinioni; quasi Prædicatores Novitij, qui ad punctum discutiendum, libros evolventes, quamlibet glossam, etiam ad rem impropriam, gaudentes transcribunt, ut maximè oportunam. Sic plures Theologi, Auctorum volumina contrectantes, vel nolunt legere ut intelligant, vel nolunt intelligere, ut benè scribant; & testimonia suæ opinioni apertè adversantia, quasi propriæ sententiæ favorem confidenter trahunt; & innumeros, quos fas erat impugnare Adversarios, recitant sibi cohærentes Amicos. Auctor, igitur, sacræ inhærens paremiæ dicit: *Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax*; & quia ille, *qui quod novit loquitur index justitiæ est, qui autem mentitur, testis est fraudulentus*; ita in examine procedit, quod scribat illa quæ novit, vel ex

Prov. 30. v. 6.

Prov. 12. v. 17.

.Doc-

Doctorum testimonio, vel frequentius, ex eorum lectione, minutissimis citationibus comprobata; ideoque verba Auctorum fideliter transcripsit, & pro scrutinio veritatis adaptavit; juxta illud Hieronymi: *In diversis diversa legi, & debeo singulorum opiniones ponere.*

S. Her. Mat. 23.

Nunquam doluimus, quòd Scoti Doctoris Subtilis, & Scholæ Principis sectator, Thomisticas aliquas impugnet positiones; aut, quod alij, statuti, vel juramenti Religione non adstricti, liberè sentiant, & liberè scribant; sed ægrè semper tulimus, quod Doctor à D. Thomæ sententijs aperte recedens, ipsum suæ opinionis audeat recitare Patronum. Unusquisque abundet in suo sensu, sed aliorum sensum non perturbet. Non utique miramur opinionum varietatem, quæ imbecillitati humanæ mentis adscribitur; cum etiam apud Auctores ejusdem Scholæ, in quibus Princeps minus suam mentem reddidit expressam, frequenter inveniatur; sed miramur, & damnamus, quod affectus præoccupet mentem, & notam obscuret veritatem. Quare cum S. Justino Martyre alloquimur lectores: *Petimus à vobis, ut ex accurata, exquisitaque ratione judicetis, non ex opinione, quæ antea vos occupaverit*; nam, reclamante Chrysostomo, *ejusmodi est veritatis natura, ut unde magis oppugnatur, inde magis confirmetur, & quo magis obtegitur, eò clarius evadat.* Hoc dicimus, & Auctor intendit, adversus aliquos, Scholæ Thomisticæ Adversarios, qui, ex defectu examinis, vel ex sententiarum mutilatione, vel ex sensu depravato, D. Thomam, & alios Thomistas ad se trahunt, vel invitos, & repugnantes; fabelis immixtis, quibus juvenes imbuti, illas recantant quasi veritates evidenter notas. Ideoque Auctoris hic dirigitur labor Thomisticæ Alumnis Scholæ, quatenus Adversariorum insultu provocati, quia à D. Thoma, & gravioribus Thomistis recedentes, possint omnes *exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.*

S. Iust. Apolog. 2. Chrys. hom. 57. in 11. Ioan.

Nullius Doctoris scripta, quem Ecclesia sustinet, censura afficit, sed scribit magni Basilij observans monita, & usurpans verba: *Scribimus* (ait Basilius) *non ut contradicendo nos ipsos ulciscamur, sed ne mendatio inoffensum progressum permittamus*; ideoque nullus putet, hunc codicem Scholæ alicujus Auctores carpere; in quo, Auctor tantummodo ostendere conatur, gravissimos Scotistas, plures antiquos Societatis Doctores, & aliquos modernos, quamvis paucos, Scholæ Thomisticæ præcipuis dogmatibus adhærentes; simulque illos, quos, quidam, ut transfugas, Scholasticæ militiæ, & desertores falsò recantant, ab hujusmodi calumnia profert vindicatos. Judices, Auctor, Lectores advocat, ut quisque, sensum, & verba discutiens sententiam ferat; & Domini, aliqualiter Imitator, sic refutat objicientem, ut, Davidica usurpans verba, sic illi dicat: *Misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Quapropter ego, vices Auctoris gerens, satis in Domino confissus, dicam cum Nacianceno, de quodam opere Basilij, differente, quod *hic liber de omnibus triumphat, si modò satis ego sum qui de hujusmodi opere judicium proferat.* Sic judico, in hoc Regio Prædicatorum Conventu die 28. Maij 1732.

S. Bas. epist. 65.

Psalm. 88. v. 34.

Fr. Thomas Madalena.

LEC-

Lectori.

FRequens Adversariorum Thomisticæ Scholæ solicitudo, in tyronum Codicibus, sequelam D. Thomæ confundit, eos, qui expressè ab ejus doctrina recedunt, legitimos dicens sectatores; & illos, qui firmiter Magistri Angelici placitis adhærent, ut transfugas Thomisticæ Militiæ traducens. Quo circa Modernus quidam Lector, ex PP. Henao, Aranda, & alijs hujusmodi, plura transcribens, à veritate aliena, fabellas immiscuit, & dicteria replicavit; Alumnis suis diversa commendans puncta, quæ non rationis scrutinium, sed præoccupati sensus fervor dictitabat. Illa Theologiæ Thomisticæ Lector, in examen traxit, & veritatem aperuit, ut Discipuli sui, pueriles repellerent insultus; & tamen, apud contrariorum lecturas, ipsa apparent dicteria; & truncata Auctorum testimonia. Imò, novissimè, quidam Doctor Collados, fabellas repetijt, & graviores Thomistas, quasi D. Thomæ contradicentes recantavit; cumque M. Fr. Marcus del Pozo, vulgari idiomate provocatus, eodem, satis coactus, prædicti Doctoris Codicem repulisset, hic, iterum adversus Nos insurrexit, pluribus carthulis hinc inde sparsis, quæ vulgari etiam idiomate, apud imperitos, & mulierculas, veritatem obscurant; & viros doctos, suæ opinionis affectu præocupatos, in priori assensu satis obfirmant. Placuit ideo examen conficere, quo *testimonium ex adversa parte*, præcipuis Thomisticæ Scholæ punctis robur adjiciat. Quare, absint Thomistæ; & Scholæ Scoticæ sectatores fidelissimi, simulque Doctorum Societatis plurimi, & antiquiores, in medium veniant, minutissima locorum designatione, quæ lectorum scrutinio faveat, & ad veritatis inquisitionem ducat. Quare prædicto Doctori, illa dicam, quæ M. P. Augustinus Juliano fidenter adaptavit: *Tu autem vir honestus, & verax abstulisti verba quæ dixi, & dixisti, quod ipse finxisti, redde verba mea, & evanescet calumnia tua: : non est multum, ut ipsa verba mea ponam, unde videant qui hæc legunt, quemadmodum scriptis meis insidieris, & qua conscientia, vel tardis, vel ignaris cordibus abutaris, ut ideo te existiment respondere, quia non vis tacere.* Lectores autem moneo, quòd, si, ut frequenter accidit, in aliquo sim deceptus, libenter me exhibeo emmendationi paratum.

S. August. ad Iul. cap. 8. in fin.

INDEX

COGNOMINVM AVCTORVM, ET PVNCTORVM, QVÆ IN hoc Codice examinantur, juxta numerum marginalem; ubi *D.* notat Dominicanum. *F.* Franciscanum. *I.* Jesuitam. *A.* Augustinianum. Alij Auctores aliter notantur.

A

B

d Meyer

Ri-

INDEX PVNCTORVM, QVÆ IN HOC OPERE discernuntur.

EX-



EXAMEN THOMISTICUM

PER VARIA THEOLOGIÆ PVNCTA DISTRIBVtum, extraneis innixum testimonijs, ad ostensionem veritatis.

PVNCTVM I.

IN QVO OSTENDITVR ANTIQVITAS PHYSICÆ Prædeterminationis, etiam quoad vocem.

OBIECTIO.

Schola Prædeterminantium cœpit Salmanticæ post annum 1570. *præeunte P, Dominico Bañes, ut deponit tanquam testis ocularis Eximius Doctor.* Aranda disp. 11. num. 8. 1

RESPONSIO.



NOMEN Prædeterminationis *observatur in D. Paulo, apud quem* Prædestinatio *Grecè, Latinè redditur* Prædeterminatio; *simulque in Dionysio Areopagita* 5. *de Divinis nominibus apud D. Thomam, ibi de rationibus*, quas Theologia prædefinitiones vocat, & divinas, & bonas voluntates existentium prædeterminativas. *Hac voce utitur S. Methodius orat. in S. Agatham, Leonardo interprete. Damascenus, apud D. Thomam* 1. *part. quæst.* 23. *art.* 1. *solut. ad* 1. Dicendum, quòd Damascenus nominat prædeterminationem, impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt determinatæ ad unum, &c. *Alexand. Alensis* 1. *part. quæst.* 26. *membro* 4. *art.* 3. *ibi* : Solutio: ad auctorita- 2

Prædeterminatio. *Damasc.* *Alensis.*

tem Damasceni dicendum, quod ipsemet solvit dicens: non prædeterminat ea, quæ sunt in nobis, quia non compellit ipsam virtutem, id est, non cogit liberum arbitrium ad faciendum hoc; vel illud, tamen præcognoscit, quæcumque fient. *Usus autem hujus vocis amplius constabit, ex syllabo Auctorum* Prædeterminantium.
3 *Quia tamen* Prædeterminatio, *pleno ore, vocatur à contrarijs* Bannesiana, *quasi à M. Bañes inducta, placet, observare, quod Theophilus Raynaudus, qui Thomistas Bannesianos vocat, ait Diatriba* 54. *quod Vbaldensis scripsit* contra præmotiones divinas. *Aranda disp.* 64. *num.* 104. *ait ex Ioanne à Bononia rejectas esse à Concilio Tridentino,* prædeterminationes has physicas. *P. Henao Event.* 46. *num.* 1233. *narrat, quod Salmanticæ anno* 1559. opinio de gratia divina efficaci non prædeterminante physicè, *fuit defensata à P. Didaco Perez, in thæsibus publicis. Quomodo igitur M. Bañes dicitur inventor* physicæ Prædeterminationis, *quæ ante ejus publicum scriptum, tot habebat Adversarios? Certè hoc complexum:* physica prædeterminatio, *expressum est contrapositivè* ad motionem moralem, *ut ostenderetur motio vera, realis, & activa.*

Raynaud.

Aranda.

4 *Aptum est exemplum, in Concilio Ephesino, ante quod nullus Doctorum exprimebat* unionem *Verbi cum humanitate,* tanquam physicam; *at quia Nestorius, illam unionem dixit* moralem, *secundum auctoritatem Verbi humanitatem regentis, part.*3. *anathem.*3. *pronunciavit:* Si quis, post unionem dividit hypostases, ipsasque ea tantum conjunctione, sive auctoritate interse connectit, quæ est secundum dignitatem, vel potestatem, & non eo potius concursu, qui est secundum naturalem unionem, anathema sit. *Quocirca audiendus est P. Suarius Doctor Eximius, tom.* 2. *de auxilio gratiæ efficacis, lib.*5. *cap.*6. *num.*15. *Lugduni* 1651. *ubi inducit Mag. Zamel contra ipsum Suarium de voce* physica *pugnantem; & ait:* Imò addit vocabulum illud à me, & à nostris esse inventum ad improbandam aliorum sententiam::: Quidquid sit de nominis initio, aut inventione ad explicandam peculiarem sententiam, eamque ab alijs distinguendam, necessarium fuit peculiare nomen. Et ad hunc finem illud non fuit in congruum, quia per illud explicatur, hanc determinationem non esse methaphorycam, sed veram, nec tantum secundum quid, & moralem::: sed esse determinationem simpliciter, & ex intrinseca natura talis entitatis; ac, proinde esse per se talem, ex aliqua propria causalitate per se. *Et addit:* Unio verbi ad humanitatem vocatur naturalis, & physica. Et Theologi solent vocare physicam efficientiam Sacramentorum, ut declarent esse veram, & realem. Ad hunc ergo modum in præsenti ad explicandam rigorosam proprietatem hujus determinationis, illa particula physicæ determinationi adjungitur. *Hæc Suarius approbans, quod alij reprobare non desinunt. Idem constat in hac voce* transubstantiatio, *expressa in Tridentino, ut ostendatur vera, & realis conversio substantiæ. Vocabunt ergo plures* transubstantiationem Tridentinam, *sicut vocant* Prædeterminationem Bannesianam. *Pro quo Baronius ad annum* 496, *scripsit:* Nova in Ecclesia Catholica opus fuit ex-

Concil. Ephes.

Suarius.

5

excogitare vocabula. *Legatur Card. Palavic. tom.* 3. *lib.* 21. *cap.* 13. *Coloniæ* 1717. *pag* 211. *in fine Hist. Conc. Trid.*

6 *Præiverat Sanct. Bonaventura, circa præmotionem, utique* physicam *contrapositivè ad moralem in* 2. *dist.* 25. *parte* 2. *quæst.* 5: *circa medium, distinguens, voluntatem* induci, mutari, aut cogi; *& dicens:* Tunc enim induci dicitur, quando aliqua persuasio fit, qua disponitur, ut ad aliquod appetibile inclinetur: : : Tunc autem voluntas mutatur, quando ipsa volente unum, potenti virtute, affectio immittitur ei ad contrarium, & de volente fit nolens::: Et hæc dicitur esse quædam compulsio, & tractio divina::: Voluntas igitur induci potest ab agente creato, mutari vero ab alio non potest; nisi ab agente increato. Cogi vero ab aliquo non potest: : : Quod enim dicitur in scriptura, Deum voluntatem hominis compellere, & voluntatem hominis trahere, & voluntatem hominis ad quodcumque voluerit inclinare, sicut ostendunt illæ tres primæ auctoritates, hoc intelligitur, non quia voluntatem cogat, sed quia voluntatem creatam non solum inducit *(in quo dixerat stare motionem moralem persuasionis)* sicut agens creatum ; verum etiam immutat immittendo affectiones,&c. *considera* compulsionem, & tractionem *divinam physicam, contrapositive ad* inductionem, *seu* persuasionem, *in qua stat motio purè moralis. Hanc ergo præmotionem physicam, malè intellexit P. Aranda disp.* 51. *sect.* 2. *n.* 94. *scribens* : Motio purè physica, est propria rerum usu vitæ carentium. Nos autem aliter à Deo trahimur, quippè in ejus odorem currimus, non vi, non unco raptamur, ut habet Senonense. Can. 15. *Qualiter autem Thomistica præmotio sit, contraposita motioni per modum naturæ; quæ est in Brutis examinabitur, num.* 9. *Libenter fatemur Thomistæ quod currere debemus post Deum moventem, at contrarij, ex vi scientiæ mediæ, volunt currere ante Deum. At quia Collados in* 2. *Cod. contr. M. Pozo, ait* : Bien haze tambien el Rmo en huir la cita que se trabe en el Manifiesto de el Illmo Araujo, porque profiere unas palabras contra la physica predeterminacion, que por modestia, ni quise poner en el Manifiesto, ni quiero poner aqui. *Illa accipe ex Illmo Araujo, qui* 1. 2. *quæst:* 111. *art.* 5. *dub.* 6. *num.* 41. *pag.* 463. *ait*: Mirum planè est, quod quidam Novitij Theologi, quorum multi, absque ullo examine suorum Magistrorum sectantur placita, tantam sibi fidem velint adhiberi, ut indubitanter posteri Theologi credere teneamur, hunc Dei physicum humanæ voluntatis prædeterminativum concursum, cujus nec Sacra Pagina, nec S. Patres, nec D. Thomas aliquandc meminerunt; sed ab eis fuit, quodam fallaci discursu confictus. *Qui sunt hi? Legatur Araujo ibi num.* 36. *pag.* 455. *dicens*: Hæc vox physica applicata motioni, & prædeterminationi divinæ gratiæ vocantis, incognita fuit, & inventa ab his, qui ejusmodi gratiæ efficatiam aversantur; hocque titulo objecta novioribus Thomistis, ut ab ipsis volentibus, nolentibus, ut legitima proles fœdata admitteretur ; aut odiosa, & invisa contra arbitrij libertatem prædicaretur. *Vbi insinuat, à contrarijs esse inductam talem vocem, intel-*

S. Bonav.

Præmotio physica. 7

8 *Araujo.*

Macedo. *ligentes ly:* physicum, *quasi per modum naturæ determinantis ad unum, ut ponderat P. Aranda. Quod etiam significavit apertè Macedo insignis Scotista tom. 2. collat. 9. differ. 3. §. 2. sect. 4. pag. 522. dicens:* Hujusmodi qualitas:: per artificium Adversariorum in Scholam Thomisticam fuit introducta, his minus eam curantibus, quod putarent perinde esse, hoc vel illo modò determinari. *Ex quo satis apparet Illmo Araujo displicuisse ly:* physica, *circa* præmotionem, *eo quod prædicaretur, non quasi vera, & realis, contra positivè ad moralem, sed* physica *per modum naturæ; ideoque ut observat Mag. Ferre, (licet non satis instructus) Araujo cogitavit, tale nomen præmotioni Thomisticæ derogare, intellectũ in sensu à P. Aranda, & alijs ponderato; qualiter omnibus Thomistis displicuit, displicet, & displicebit.*

9

10 De voce. *Loquatur autem ipse, pro seipso, ibidem art. 5. dub. 6. pag. 455. in cujus margine est:* Corrigitur modus loquendi quorundam Recentiorum. *Nota, qualiter modum loquendi, non rem significatam corrigit; & in corpore ait:* Si autem inquiras, num ista gratia vocans, & præveniens, efficax, appellanda sit physica, vel moralis? Respondeo quod non est appellanda simpliciter, & sine addito, physica, sed potius moralis. Vel physica, cum hoc addito, nimirum si physica, idem sit, quod realis, & in se, ac de se prout venit à Deo efficax sit. *Et statim* §. pro cujus declaratione, *ait:* Aut consultius hujusmodi gratiam moralem appellabis: : : aut si malueris physicam, cum prædicto addito, aut utaris hac distinctione, nimirum admittendo illam esse physicam materialiter: : : formaliter verò, id est, quoad munus movendi, & applicandi voluntatem, non physicam, sed moralem esse, quatenus illam præmovet, & applicat, non suo pondere naturali, ad instar agentis physici, & naturalis. *Et p. 462. n. 41. addit:* Vim tantam sortitur, ut infallibiliter, & si morali modo, ipsam hominis voluntatem prædeterminet, ad omnem bonam, & studiosam actionem, &c. *Ideoque firmans assertum contra Molinam lib. de Concord. lib. arbit. quæst. 14. disp. 37. ait num. 35.* Cum alijs ejusdem Scholæ Sectatoribus. *Et docet efficatiam Divinæ gratiæ,* independenter à consensu humani liberi arbitrij. *Habes igitur, ex Araujo, quod Prædeterminatio est* moralis, *prout non est* ad instar Agentis naturalis, *& est* physica *contrapositivè ad purè* moralem, *seu motionem metaphorycam. Et hinc disces,* physicam præmotionem non esse ex mente Augustini; *ut ibi dicitur pag. 465. in sensu physico per modum naturæ. Quare dicemus cum Augustino lib. 1. Retract. cap. 15.* Non resistendum est; nec de verbis, cum res constat, controversia facienda est. *Legatur Carolus Du Plessi Episc. Tutelensis, qui in Opusculo edito Parisijs 1720. ait, jam diu ante Bañes in Sorbona, nomen Prædeterminationis fuisse usurpatum. Et Caramuel, qui teste Henao Event 27. num. 675. ait, opinionem de physica Prædeterminatione, esse antiquam, & communem Dominicanorum.*

11

12 Palavic. Vvenzl. *Imò Card. Palavicinus, 1. 2. disp. 6. de actibus humanis, quæst. 3. art. 12. (apud Benedictum Vvenzl, de quo infra 279.) scripsit, opinionem de prædeterminatione esse manifestè D. Thomæ, & omnium Thomistarum; ut statim constabit. Vide dicenda infra de Fonseca, ante sua scripta, supponente opinionem de præmotione* physica.

PVN-

PVNCTVM II.

EXAMINATVR PRÆDETERMINATIO PHYSI-ca, ut ex mente D. Thomæ. 13

OBIECTIO.

Prima classis est eorum, qui omninò reijciunt præfatam doctrinam, & has Prædeterminationes odio habent. Hi sunt, Sol Scholæ Thomisticæ S. Thomas, &c. *Aranda disp.* 64. *sect.* 2. §. 2.

RESPONSIO.

QUamvis objectiones dissolvere, extraneis innixus testimonijs, proposuerim, D. Thomas non venit ablegandus, ut de se testimonium ferat. Et præter innumera quæ passim apud Auctores inculcantur, lego 1. p. q. 111. art. 2. in corp. Vbi inquirens, an Angelus possit immutare hominis voluntatem? ait:* Et sic solus Deus efficaciter potest movere voluntatem, Angelus autem, & homo, per modum suadentis, ut supradictum est, *scilicet quæst.* 106. *art.* 2. *Vbi in corpore dixerat, quod Angelus potest movere voluntatem ex parte objecti,* & per hoc inclinare potest ad amorem creaturæ, vel Dei per modum suadentis; ex parte vero ipsius potentiæ voluntas nullo modo potest moveri nisi à Deo. *En qualiter D. Thomas expressè docet præmotionem efficacem; utique physicam, contrapositivè ad suassionem, vel motionem ex parte objecti, quæ est moralis. Quare Macedo tom.* 2. *collat.* 9. *diff.* 3. *sect.* 8. *pag.* 548. *postquam plura D. Thomæ congessit loca, pro Prædeterminatione physica, ait:* Ex quibus apparet eum (*D. Thomam*) in hac sententia traddenda, & tenenda, semper constantem certumque fuisse, ut numquam sui tenacior fuerit, sibique cohærentior. Quod animadverto, propter nonnullos, contrariæ, de indifferentia concursus, Auctores sententiæ, qui eum trahere in suas partes volunt, vel invitum, & repugnantem: objectis, quibusdam fluxis, sanè, & ambiguis testimonijs. *Et statim citat Capreolum, Cayetanum, & Ferrariensem. Hæc Macedo acerrimus Scotista. Videat nunc P. Rubio, qualiter in* 8. *Phys. lib.* 2. *tract.* 4. *dixit,* absque dubio esse sententiam D. Thomæ 1. p. q. 14. art. 13. Concursum causæ primæ esse ipsammet actionem secundæ causæ prout provenit à prima, *cum articulus lectus totus sit contrarius tali positioni.*

14 *D. Thom.*

15 *Macedo.*

P. Rubio.

16 *Si autem nec D. Thomæ, nec Macedo credas, lege epistolam* 10. *P. Gabrielis Daniel Galli ad M. Natalem Alexandrum, in qua dicit:* Liquet igitur à D. Thoma, hic admitti motionem à concursu, facultate agendi, cæterisque id genus rebus, distinctam, qua Deus applicet causam creatam ad agendum: *Et ex professo probat distingui à concursu simultaneo. Similiter constat ex Libro Studiorum, edito sub P. Aquaviva Generali Socie-*

Daniel.

Liber studiorum.

Aquaviva.

cietatis, anno 1586 *Romæ; in cujus regula* 5. *excipiuntur aliquæ opiniones D. Thomæ, ab ejus sequela in suis constitutionibus statuta* : Nostri itaque non cogantur defendere quæ sequuntur, &c. causas secundas esse propriè, & univocè instrumenta Dei, & cum operantur, Deum in illas primum influere, aut eas movere. *Cum autem hæc exceptio non sit de motione morali, quam nullus negavit, est de motione* physica, *ut ex D.*
17 *Thoma. At cum liber ille fuisset prohibitus à Sixto V. alius formatus est liber; atque anno* 1594. *in Congregatione* 5. *generali facta est Declaratio, & urgente Clem. VIII. Decretum* 56. *erat hujusmodi.* Nostri omninò S. Thomam ut proprium Doctorem habeant, eumque in Scholastica Theologia sequi teneantur. Tum quia Constitutiones nobis eum commendant, & Summus Pontifex Clem. VIII. id se cupere significavit. Tum, quia cum unius Scriptoris Doctrinam, in Societate eligendam Constitutiones moneant, nullius, hoc tempore Doctrina potest occurrere, quæ sit ea solidior, aut securior, ut non immeritò Sanct. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur. *At P. Aquaviva Decretum hoc emollivit, quo, teste Aranda disp.* 34. *num.* 131. Turbati sunt aliqui, quasi cogerentur admittere aliquid prædeterminans, *maximè per illa verba,* (*quæ omittit Aranda*) atque hac ratione efficere Deum, ut re ipsa faciamus, non tantum qui dat gratiam, ut facere possimus, &c.

18 *Atsi reclamat Henao* 1. *part. de Scientia Media sect.* 157. Non valde Doctos esse, *qui ex Decreto illo inferebant* gratiam physicè prædeterminantem; *adest testimonium Mutij Vitelesci qui de Consilio* 7. *Congregationis, in qua fuit electus, dedit litteras die* 7. *Junij* 1616. *toti Societati directas, sic* : Cum difficultas aliqua inter viros doctos, super Decreto R. P. Nostri, piæ memoriæ, anno 1613. Decembris 14. de efficatia gratiæ nata esset:: PP. deputati censuerunt, non intendisse R. P. Caudium, hoc suo Decreto, decernere Deum sua voluntate prædeterminasse, vel prædefinisse aliquod opus nostrum bonum, independenter à cooperatione liberæ nostræ voluntatis. *At, hac declaratione non obstanti, adhuc subsistit illa* turbatio, *cum Aranda impugnet Tyrsum Gonzalez, circa Decreti interpretationem. Imò, post declarationem Mutij, Picolominus ejus successor de Consilio* 9. *Congregationis anno* 1651. *in Statutis de ratione studiorum ad Provincias directis, dixit* : In materia de efficatia gratiæ servetur Decretum P. Claudij Aquaviva conditum 14. Decembris 1613. *Cur autem renovavit Decretum Claudij obscurum, & noluit attendi Decretum Mutij perspicuum? Iudicet rerum æqus æstimator, an essent Decreta pro temporis eventibus accomodata. Varietas, igitur, & turbatio originem habuit in illo puncto, quod exprimitur in* 1. *libro studiorum, ubi hæc leguntur* : Intolerandum nobis jugum videtur, &c. quin etiam tam severis legibus ingenia nostrorum adstringi non debent in omnibus Theologiæ quæstionibus, sed ne in his quidem, quas S. Thomas pertractat, Provabilissimus licet Auctor. *Inde recessus à D. Thoma in puncto* Prædeterminationis, *hanc esse ex mente D. Thomæ satis evincit.*

Decretum P. Aquaviva.

P. Mutius.

19 *Si autem objiciatur D. Thom. in 2. dist. 39. quæst. 1. art. 1. in corp. dicens*: Potentia voluntatis, quantum in se, est indifferens ad plura, sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. *Miror certè, quod à viris Theologis hoc ponderetur, cum ibi D. Thomas, ut probet peccatum esse in voluntate, assignet differentiam hominis à Brutis, & agentibus naturalibus, quæ agunt determinata ad unum; & solvens objectionem à contrarijs recantatam, quæst. 3. de potentia art. 7. ad 13. sic scribat*: Ad 13. dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ; sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam. *Quare Pater Daniel epist. 10. de hoc testimonio differens, ait*: Theologos, qui ne deserere S. Thomam videantur, hanc actionem Dei explicant, interpretanturque de simultaneo concursu, vim, huic afferre loco, patet. *Similiter D. Thom. ibi, præcipuam contrariorum objectionem solvens, ait*: Ad 12. dicendum, quod Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilij sui, quin in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis. Quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum. *Vnde, dum D. Thom. loquitur millies de voluntate* seipsam determinante *contrapositivè ad agens naturale, supponit determinationem Dei, ut causæ primæ. Vbi placet advertere aliquorum incuriam in transcribendis D. Thomæ testimonijs; memini enim me legisse in cursu philosophico scholæ contrariæ, ex D. Thom. in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. in corp. sic*: Non enim esset homo liberi arbitrij si ad Deum determinatio sui operis pertineret; *cum tamen ibi legatur*: Nisi ad eum determinatio sui operis pertineret. *Quæ quidem errata in hoc, & alio codice, eodem modo legi.*

D. Thom.

20 Daniel.

Testimon. D. Thomæ.

21 *Sic contigit D. Balduino Rytovio, qui in responsione ad Apologeticon P. Ioannis Decherij huic objecit, testimonium D. Thomæ proposuisse truncatum, ex 1. 2. quæst. 10. art. 4. Tuncque lector admonitus, respondit*: Hoc facere assuevi, quando Auctorum sententias in pauca colligo, variata interdum phrasi, aut substituto vocabulo aliquo clariore. *Alij, aliter procedunt, ut P. Viva Theolog. Schol. par. 3. disp. 5. num. 9. Qui defendit Angelum potuisse peccare in 1. instanti ex D. Thoma 1. p. q. 66. (cum tamen sit 63.) art. 5. assumens argumentum 3. quod sibi objicit D. Thomas, ex paritate meriti ad peccatum; & cum D. Thom. neget consequentiam, & det disparitatem, ex paritate deducit conclusionem ut ex D. Thom. quam D. Thomas aperte negat. Denique: Prædeterminationem esse ex D. Thoma fatetur Suarius in Metaphys. disp. 22. sect. 2. num. 52. ex quæst. 3. de potentia art. 7. dicens*: Existimo tamen D. Thomam tacitè retractasse illam doctrinam in 1. p. ubi exquisitè tractans omnem modum, quo causa prima operatur cum secunda, illam virtutem omisit. *Miror, quod hic Magnus vir illam proferat retractationem ex 1. p. q. 105. art. 5. cum hic ad 3. dicat*: Deus non solum dat formas rebus, sed etiam con-

Testimonia truncata.

Suarius.

fer-

servat eas in esse, & applicat eas ad agendum, & est finis omnium actionum. *Lege etiam* 1. *p. q.* 19. *art.* 8. *Vbi idem docet, sine minimo signo*
22 *tacitæ retractationis. Quo circa Macedo, in præfatione* 1. *tomi collat. dixit, quòd, cum Suarius Conimbricæ audiret à nostris, ut vel à S. Thoma recederet, aut eum commentari desineret, respondit:* Desinam deinceps commentari. *Sic Henriquez Magister Suarij, & Gregorij de Valencia (teste Macedo tom.* 1. *collat.* 9. *diff.* 2.) *dixit, de ultimo fine hominis cap.* 4. Rectè concors Theologorum sententia docet Deum habere prædeterminationem bonorum efficacem ex providentia perfecta ab æterno, in qua, & per quam, tanquam per rationem certò omnia sciat. *Numera inter illos Theologos D. Thomam. Quare Belarminus tom.* 4. *lib.* 4. *cap.* 16. *lit. E. ait:* Præmotionem esse D. Thomæ sententiam, & cum illa rectè defendi liberum arbitrium. *Quæ discussio esset otiosa, nisi esset præmotio* physica. *Vid. dicenda infra, de Auctoribus defendentibus præmotionem.*

Henricus. Macedo. Belarminus.

PVNCTVM III.

23 *PRÆDETERMINATIO, SIVE GRATIA AB intrinseco efficax statuitur, ut ex mente S. Augustini, & aliorum Patrum, Scholasticorum, & Sanctorum.*

OBIECTIO.

In primis *stat contra Prædeterminationem Auctoritas Augustini, &c. Aranda disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 2. Stat etiam auctoritas totius antiquitatis Scholasticæ *disp.* 1. *num.* 23.

RESPONSIO.

24 *ANtequam huic objectioni satisfaciam, festivum erit adjungere, quod P. Fr. Iosephus de Madrid, Theologiæ Lector, & actualis Diffinitor S. Provinciæ S. Ioseph, protulit vulgari Idiomate, approbans Codicem D. Collados, scilicet:* No estuvo 300. años, y aun algo mas, la Doctrina del Angelico Maestro, sin esta sentencia de la eficacia del auxilio, como se pone, y las premociones physicas? Sin duda. Es posible, que en 300. años no tuvo el Angelico Doctor Discipulo alguno, que calase su mente, y aora los ay? *Hac interrogatione lecta, Augustini regula utens, quam sum professus, ex charitate dicam:* parcatur illi, & oretur pro eo. *Meum, autem in hac parte, non est propositum, Augustini, & aliorum testimonia scrutari, nisi advocatis antiquis, & modernis Doctoribus, qui cum Augus-*
25 *tino scribunt. Legatur in Scholasticis Libris. Legatur, & Hieronymus tom.* 2. *epist. ad Cthesyphontem, contra Pelagium, editionis Parisiensis pag.* 384. *Quia tamen objicitur à contrarijs, ex Augustino, & Chrysostomo aliquod testimonium, apparenter favens doctrinæ de scientia media, & recantatum*

Modernus. Præmotio antiqua. S. Hier.

à

à P. Marin hic disp. 10. sect. 5. §. 1. Ex Chrysostomo, inquam, hom. 31. in Matth. dicente, Christum vocasse Petrum, Ioannem, & Matthæum, in circunstantijs, & tempore, in quo praeviderat illos obtemperaturos, *& hom. 65. circa parabolam operariorum, asserente:* Si verò non omnes eodem tempore paruerunt, à voluntate vocatorum, hæc differentia resultavit. *Solutio nostra, ex Theologo primi subselij accipienda est, & à nullo repudiando.* **Objectio.**

26 *Quis est hic? Card. Toletus Discipulus, & Auditor M. Fr. Dominici de Soto, in tomo edito Venetijs 1601. cum Privilegio Pontificis in cap. 5. Lucæ annot. 54. scribens:* Huic doctrinæ (*Chrysostomi*) adversari videtur, quod ipsemet Paulus de sua vocatione ad Gal. 1. scripsit: cum placuit ei, &c. non dicit Paulus, quando novit me obediturum, sed quando illi placuit, qui per gratiam me vocavit. Non expectat Deus semper arbitrium nostrum, quia sua gratia ipsum excitat, ipsique dat velle, & perficere, qui etiam rebelles convertit, & compellit voluntates. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit, & si antea vocasset, utique respondisset, & obtemperasset. Non ergo ratio, aut tempus vocationis hujus, & similium referri debet in hominis arbitrium, sed in Dei beneplacitum, cui sic vissum est, sicque disposuit. Potest autem intelligi Chrysostomus sic: tunc vocasse Discipulos, quando sciebat illos obtemperaturos, nimirum per gratiam suam. Sciebat enim, quando ipse operaturus erat in eis, ut obtemperarent vocanti, & tunc vocavit. Nisi sic intelligas doctrinam, non probo. Nec solum Doctrinæ huic Chrysostomi, in hac parte non consentio, sed contrariam omninò veram existimo. *Et post pauca, addit:* In hoc enim virtus vocantis magis clarescit, & magnitudo gratiæ revelatur, minusque homo de sua virtute, meritisve potest præsumere. *Habes, Lector, solutionem, non ex Dominicano, sed ex insigni Societatis Theologo, & satis antiquo. Adderem ego, ut Chrysostomum exponam, quod ipse scripsit ibi:* Vidisti virtutem vocantis, vide nunc vocati obedientiam. *Et hom. 70.* Vocatio, & purgatio ipsa, ex gratia sunt::: non quia dignus, sed quia gratia tibi largita est, vocatus venisti. *Et hom. 66. circa medium:* Ita undique eos compellebat, in gratia Dei primum, deinde in laboribus proprijs, omnem salutem, & gloriæ spem reponere. *In quibus locis, initium salutis statuitur in gratia vocantis. Quod addidi, nolens uti testimonio Vazquij qui tom. 1. in 1. p. disp. 91. cap. 9. scripsit, quod Chrysostomus docuit Massiliensium opinionem, utpote Magister Fausti Rhegiensis.* **Toletus de Chrysostomo.** 27

28 *Auxiliaris, pro auxilio efficaci, venit Belarminus tom. 4. lib. 1. de gratia, & lib. arbitrio cap. 12. pag. 420. lit. B. Venetijs 1599. qui loquens ex Augustino lib. de spiritu, & litera cap. 34. ait:* Quærens, cur Deus uni ita suadeat, ut persuadeat, alteri non ita, non respondet (*Augustinus*) quia unus consentit, alter non consentit, sed exclamat: ô altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c. itaque refert in arcanum divinæ voluntatis, cur uni detur gratia efficax, alteri non detur::: non igitur vult S. Augustinus gratiam efficacem pendere ab humana volun- **Belarminus.**

 tate,

tate, sed à divina. Denique, tam est hoc in operibus Augustini frequens, & obvium, ut supervacaneum sit, id pluribus confirmare. *Postea affert illa verba* 1. *ad Chor.* 4. Quis enim te discernit. *Et sumit argumentum Thomistarum, sic*: Nam si vera esset opinio istorum, fidelem ab infideli planè discerneret liberum arbitrium. *Et statim addit.* Denique, hæc opinio evertit omninò fundamentum Prædestinationis divinæ. *Legatur Belarm. lib.* 2. *de gratia, & lib. arb. cap.* 9. *Legatur Nazianzenus orat.* 31. *edit. Paris.* 1583. *pag.* 715. *circa illud*: Non est volentis, neque currentis, &c.

29 *Mag. Sent.* *Magister Sentent. in* 2. *dist.* 25. *in fine circa illa verba ad Rom.* 9. Non est volentis, neque currentis, &c. *Id ipsum prolixè docet. & dist.* 26. §. 1. *ex Augustino contra Iulianum, ait*: Non enim ideo misereretur Deus alicujus, quia voluit, & cucurrit, sed ideo voluit, & cucurrit, quia misertus est Deus. *Et concludit*: Ecce hic expressè habes, quod gratia prævenit bonæ voluntatis mæritum,& ipsavoluntas pedisequa est gratiæ, non prævia. *Similiter in* 1. *dist.* 49. *in principio ait*: Voluntas quippè Dei semper efficax est, ut fiat omne quod velit, & nihil fiat, quod nolit. Quæ de homine semper impletur; quocumque se vertat. Nihil enim, ut ait Augustinus, libero arbitrio constitutum superat voluntatem Dei. *Alexander Alensis* 1. *part. Summæ quæst.* 40. *membro* 1. *edit. Muxembergæ* 1482. *ait*: Voluntas nostra efficiens subjicitur Dei voluntati, verè efficienti, quod nos faciamus. *Scotus, Doctor Subtilis, in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. *Sibi objecit contra Prædeterminationem, & respondet*: Non est autem contra naturam ejus (*scilicet voluntatis*) determinari à causa superiori; quia cum hoc stat, quod sit causa in suo ordine. *Sed de hoc infra, & apud Macedo tom.* 2. *collat.* 9. *diff.* 3. *sect.* 5. *Ideoque P. Molina in Concord. disp.* 50. *pag.* 213. *col.* 2. §. etiam si Scotus *arguit contra Scotum, eodem modo, ac contra Thomistas, ex capite*

Alensis. *Scotus.*

30 *Ægidius.* *evertendæ libertatis. Ægidius Romanus Card. ut Augustini filius, citatur contra nos ab Henao, num.* 1242. *in* 2. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 3. *dubio, & via* 2. *& in* 1. *dist.* 40. *quæst.* 2. *ubi nihil dicit ad rem. Imò dist.* 41. *pag.* 216. *edit. Venetæ* 1482. *quæst.* 2. *docet expressè Prædestinationem gratuitam. Et in* 2. *dist.* 25. *q.* 1. §. advertendum tamen, *de libero arbitrio dicit*: Et si non potest cogi à Deo, potest immutari à Deo. *Legatur quodlib.* 3. *q.* 3. §. secundò quærebatur *ubi agit de præscientia, sicut nos.*

31 *Paiva.* *Inter Doctores huiusmodi controversias præcedentes, numerandus est Paiva, qui lib.* 4. *pag. mihi* 139. *Venetijs* 1564. *hæc habet*: Nisi enim potentissima Dei gratia voluntati nostræ præeat, & præluceat, fieri certè non potest, ut eorum, quæ perfecti boni nomen mærentur, quidquam consectari valeamus. *Et pag.* 142. Nam cum Spiritus Sancti potissima motio voluntatem corroboret, ut velit gratiam amplecti, non quidem nostram libertatem adimere, sed perficere, videri debet. *Similiter Ru-*

32 *Taperus.* *ardus Taperus, (qui aliàs à Sirmondo, & Belarmino habetur ut semi Pelagianus, & contra nos citatur à P. Aranda) lib. de libero arbitrio art.* 7. *pag.*

pag. mihi 216. *Coloniæ* 1583. *ait*: Sic autem his viribus applicatis divinitus, & motis, per eas operamur, hoc est per liberum arbitrium, sicut principium effectivum, cui ratio agendi est divina motio,&c. *Et cum sibi objecisset arg. contra libertatem, respondet*: Sed hæc objectio,& difficultas non minus adversatur libertati voluntatis in naturalibus, & politicis, in quibus etiam per Divinam providentiam movetur, & determinatur ad opus. *Quæ comparatio inepta esse de motione morali indubitabili. Expressius dixerat* 194. Suassio enim sola, sivè à Deo fiat, sivè ab homine, non movet voluntatem efficaciter. *Et pag.* 194. *dixit*: Quinta propositio: Sola gratia efficacis operationis divinæ posita, necessariò sequitur effectus, quem operatur fides, scilicet, conversio, perseverantia, & opus bonum, quamvis simpliciter, per arbitrij libertatem possint non fieri. *Quæ est Doctrina de potentia antecedenti. Sic Driedo tract.* 2. 33 Driedo.
cap. 6. *part.* 2. *de Captiv. & Redempt. Lovanij* 1552. *fol.* 152 *à lit. B. explicans ex Augustino illud*: Nemo potest venire ad me,&c *ait*: Nemo incipit in Christum credere, ut Christianus fiat, nisi Deus sua gratia præveniens illius voluntatem aversam, & rebellem, misereatur ejus. Jam autem gratia Dei præveniente tractus, atque mutatus voluntariè credit,&c. *Legatur in concordia de libero arbitrio.*

Post Patres, & Controversistas, satis antiquos, veniunt recensendi S. 34
Doctores Moderni, & alij, quorum mentes credimus à Deo illustratas. S. S. Alb. M.
Albertus Mag. in 1. *part. Summæ tract.* 20. *quæst.* 79. *part.* 3. *pag.* 463. *edit. Lugdun.* 1651. *postquam dixit*, quod voluntas Dei prima est (*causa*) & princeps, omnes alias movens, & agens ad causandum quæ vult, *addidit*: Voluntas Dei causa prima est nullo modo determinabilis per aliquid, ut sit hujus causa, vel illius. *Quod, ex diametro opponitur doctrinæ de concursu indifferenti. S. Bonaventura in* 2. *dist.* 37. *q.* 1. *art.* 1. S. Bonav.
in solut. ad 5. *ait*: Dicendum, quod tota (actio) est à Deo, & tota à libero arbitrio, non enim est intelligendum, quod Deus cooperetur libero arbitrio sicut cum duo ferunt lapidem (*quo exemplo utuntur contrarij*) unus cooperatur alteri, sed quia Deus est intimè agens in omni actione, & intimus est omni potentiæ operanti, ita quod ipsa potentia in nihil exit, quod non sit ab ipso. *Et dist.* 26. *q.* 6. *ait*: Non est aliud dicere gratiam liberum arbitrium movere, quam gratiam esse instrumentum Spiritus Sancti ad movendum liberum arbitrium;& non solum operatur cum libero arbitrio, sed in liberum arbitrium. *Vide num.* 3.

S. Vincentius Ferrarius Serm. 2. *Dom.* 18. *post Pentecostem, agit ut* 35
Thomista de Deo, tanquam causa prima, vocans creaturas instrumenta S. Vinc.
eius. Et fer. 2. *post Dom. Passionis, ad illa verba*: Ubi ego sum, vos non potestis venire, *ait*: Scilicet in sensu composito. *Et in Serm. S. Mathiæ, circa illud Matth.* 10. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te, *dicit*: Rationem primam omnium operum, quæ fiunt, tàm in naturalibus, & artificialibus, quàm in voluntarijs, esse solam divinam voluntatem, & divinum beneplacitum. *Et postea, subjungit*: Si dicatur, & quæratur, quare David fuit ita Sanctus? Si dicatur, quia tenuit hic bonam

nam vitam,& vitavit peccata,&c. nondum satiat responsio. Sed si dicatur,quia ita placuit Deo, ista responsio satiat. Et si quæratur, quare placuit Deo? Quæstio est stulta, quia ultra summũ gradum, non est aliud.

S. Antoninus Archiep. Florent. 4. *part. Summæ cap.* 4. *de causis gra-*
36 *tiæ,* §. 2. *ait:* Pro cujus declaratione dicit D. Thomas 1. 2. quæst. 112.
S. Antonin. art. 3 Quod præparatio hominis ad gratiam est à Deo, sicut à primo movente, & ab homine sicut à moto: : unde si ex intentione Dei moventis, est, quod homo cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur. *Lugduni* 1529. *& postea cap.* 5. §.7. *Concludit ex D. Thom.* 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. Et ideo quantumcmque aliqua natura, corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suumactum procedere, nisi moveatur à Deo, quæ quidem motio est secundum suæ Providentiæ rationem. *Vnde mirum est,quod D.Collados, utatur testimonio S.Antonini contra nos,* 1. *p. Summæ cap.*4. § 2. *quia dicit,* quod voluntas est domina sui actus,& quod à seipsa movetur, *ignorans dicta ex D. Tho. q.*3. *de potentia art.*7. *ad* 13. Non per exclusionem causæ primæ,sed quia causa prima, non ita agit in voluntatem, ut eam de necessitate determinet ad unum sicut determinat naturam. *Vt ait P. Alamanius in* 2. *Summa Philosoph. q.* 11. *art.* 4. *ad* 3. *de quo Ferre in* 2. *tomo.*

P. Alaman.

PVNCTVM IV.

37 *EXAMINATVR SINGVLARIS OBIECTIO EX S. Francisco Salesio, & alijs viris, & fœminis, spirituali unctione delibutis.*

OBIECTIO.

Adde (*contra Prædeterminationem*) S. Franciscum Salès, apertum Prædeterminationis osorem : : item S. Theresiam à Jes , ut videre est in operibus ejus. Lege cap. 15. vitæ suæ. Demum fœminam illam eximiæ sanctitatis,& admirabilis sapientiæ fama notissimam in Hispania, V. M. Mariam à Jesu de Agreda. Legatur 2. pars Mysticæ Civitatis lib. 6. cap. 70. *ex Aranda disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 25.

RESPONSIO.

38 S. Franciscus Salesius. *Sanct. Salesium in examen voco. Argumentum recantatum, ex vi epistolæ à S. Francisco directæ P. Lesio, in qua data* 27. *vel apud alios* 26. *Augusti* 1618. *ait* : Sententiam de Prædestinatione ad gloriam, post prævissa mærita sibi placere,&c. *Quam epistolam latino sermone confectam traddit P. Henao Eventil.* 44. *n.* 1081, *ut sibi missam à P. Huberto, Rectore Collegij sui Duacensis, cuius titulus exterior sic exponitur.* A. R. P. in Christo P. Leonardo Lesio, Societatis Jesu Theologo Claris-

rissimo. *Sed sub contrariorum venia, hanc epistolam examinare opus est, ut lector discernat an sit sufficiens testimonium, ut ei fides adhibeatur.*

Primò: Titulus epistolæ, per ly: Theologo clarissimo, *satis est extraneus; nec sanctorum mos est, proximos suos ducendi in elationem animi, & propriarum dotum æstimationem; quæ ex vi tantæ laudis, à S. Episcopo pronunciatæ, poterat cadere in Lessium.* 2. *Cum constet, frequentes Salesij epistolas fuisse sermone gallico directas, nobis P. Henao non ostendit quis fuerit latini sermonis Auctor; maximè cum inter epistolas D. Salesii, aliqua sit, etiam vulgari idiomate, Cardinali Belarmino imò, & Clem. VIII. P. M. directa; sicut, & aliæ, alijs Theologis Societatis.* 3. *Quia, cum esset Salesius quasi coætaneus, & satis familiaris Belarmino, illam sententiam acerrimè impugnanti, ut videbimus, non est credibilis commendatio illius,* ut Sacræ Scripturæ conformis. 4. *Quia, cum Bibliotheca Societatis in laudes Lesii effundatur; tamen non facit mentionem de contubernio, aut familiaritate utriusque, Salesii, scilicet; & P. Læsii, cuius epistolam debuit exprimere, ut approbationem Auctoris, quem tot laudibus extollit; advocans, hinc inde, virtutis; & eius scientiæ, testimonia.* 5. *Et in idem, quia P. Ribadeneira, in vita S. Francisci Salesii cap.* 1. *dicit illum instructum in Societate à P. Maldonato; directum quoad spiritualia à P. Possevino; & nihil dicit de P. Læsio.* 39 *Epistola Lesij.*

Sexto: Quia Camusius Episcopus Bellicensis ab Henrico Magno electus parte 3. *operis gallicè inscripti sect.* 2. *de gratia, & libero arbitrio, se prodit familiarem S. Francisco Salesio, & finitis controversijs à Molina excitatis, cùm eo loquentem sæpè de gratia efficaci, & liberò arbitrio, quam doctrinam dicit à S. Salesio maximè probatam. Sicque etiam Doct. Espinosa de Medrano in sermone S. Thomæ, sicut B. Ignatium, ita B. Salesium Thomistis in hac parte annumerat.* 7. *Incredibile est, quod S. Salesius extollat ut conformiorem scripturæ sententiam, quam alibi fatetur esse contra S. Augustinum; hoc autem patet, non ex vaga, & singulari epistola, sed ex illa, quæ apparet* 8. *apud D. Franciscum Cubillas Hispanicum translatorem. In hac enim scribens P. Fulliensi circa modum tractandi puncta Theologica ait:* En aquella: utrum Prædestinatio sit ex prævissis mæritis; yà sea que se tenga la opinion de los Santos Padres, que precedieron à San Ambrosio, ù que se siga la de San Agustin, la de Santo Thomàs, ù la de otros, se pueden formar los argumentos en estilo afectivo, &c. *Certum autem est, ipsa Societate Iesu pronunciante, ut videbimus, sententiam de prædestinatione ante prævissa mærita esse propriam Augustini.* 8. *Quia cum litteræ D. Francisci Salesij maxima solicitudine fuerint quæsitæ, & postea Matriti anno* 1671. *de Gallico in idioma Hispanum translatæ, talis epistola P. Læssio directa inter illas non invenitur; cum tamen præter epistolam ad Belarminum, sit alia, scilicet epist.* 68. *circa vitam P. Petri Fabri ejusdem Societatis.* 40 *Camusius.* 41 *Espinosa.* 42 *Sales.*

Nono: Quia, ut notat Bibliotheca Soc. pag. 305. *Lessius scripsit opus:* De potestate Summi Pontificis, *quod, ait,* impressum quidem, sed hactenus bonis causis supressum est. *Lege epist.*58. *libri* 7. *Amico Anonymo* 43

scriptori directam, in qua ingenium laudat, sed excitamenta contentionis reprobat; cum autem Lessius apud Belgas, tot excitaverit sua Doctrina, Scholasticas turbas, rationabili disces conjectura circa Lessij scripta versari. 10. *Quia Salesius contra Thomistas inducitur ab Aranda, & alijs, ex P. Emmanuele Magnano, Minimo, tom. 2. Philosoph. cap. 42. proposit. 29. Qui tamen fuit vir capitosus, & inter Carthesiana dogmata vacillans. Quapropter, non semel miratus sum, quod doctissimus P. Tyrsus Gonzalez tom. 4. disp. 4. sect. 11. n. 159. Vtatur testimonio Magnani dicentis, D. Franciscum Salesium instructum contra efficatiam gratiæ, ex vi hujus doctrinæ, ad Deum traxisse septuaginta duo millia hæreticorum. Bella meditatio! potius tribuere mirabilem hæreticorum conversionem gratiæ congruæ, & voluntati illorum, quam ipsi Deo.*

Magnanus.

44 Tyrsus de Salesio.

45 *At quia Tyrsus, non modò epistola prædicta, sed & pluribus Salesij locutionibus utitur contra gratiam efficacem; aliquas notabo, ut sagittæ appareant contra ipsum retortæ sagitarium. Ibi ergo, apud Tyrsum, num. 169. Salesius citans Augustinum, circa Angelos bonos, & malos ait:* Que no sabe dezir otra cosa, sino que los unos perseveraron por la gracia de su Criador, en aquella pureza de amor que recibieron, y los otros, de buenos que eran passaron à ser malos por su propria voluntad. *Sententia autem Augustini cui Salesius innititur, ita est lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 10.* Potuisset (*Deus*) etiam malorum Angelorum voluntatem in bonum convertere; quia omnipotens est; posset planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluit? Penes ipsum est. *Vbi est ergo gratia illa versatilis data ad nutum voluntatis creatæ, quam Iesuitæ suadere intendunt! Lege num. 175. & videbis Salesium, sicut Augustinum, & Thomistas recurrere ad inscrutabilia judicia Dei, per illa verba* : De aqui no ay que passar; *quasi interrogationibus respondeat : quia Deus sic decrevit, vel permisit.*

Salesius de gratia efficaci.

46 *Lege num. 180. & in Salesio invenies manum Dei omnipotentis absque læsione libertatis; & perpende, quod Salesius vixit in illo tempore quo fuerunt controversiæ circa doctrinam Molinæ. Si ergo ita fuit illi addictus, cur Iesuitæ tunc de subscriptione cujuslibet Theologi anxiè sollicititi, coram Clem. VIII. (cui prima Salesij epistola dirigitur) tanti viri non fuerunt usi testimonio? Denique etiam data illa mente Salesij, prævalerent Augustinus, D. Thomas, & alij S. Doctores.*

47 *Objectio P. Aranda, ex S. Matre, & Doctrice Theresia à Iesu, nobilem in suis filijs habet solutionem; sed quia caput 15. ejus vitæ expressè objicitur à P. Aranda, illud examinemus; & in principio hæc verba legimus:* No entiende la Pobrecita (*Alma*) que pues ella por si no pudo nada, para traher à si aquel bien, que menos podrà detenerle mas de lo que el Señor quisiere. *Quæ doctrina scientiæ mediæ, & gratiæ congruæ satis adversatur. In via perfectionis cap. 32. hæc habet* : Mirad hijas, ello se ha de cumplir, que queramos, que no, y se ha de hazer su voluntad en el Cielo, y en la tierra, tomad mi parecer, y creedme, y hazed de la necessidad virtud. O Señor mio, que gran regalo es este para mi, que no dexassedes en querer tan ruin como el mio, el complirse vues-

De S. Theres.

tra

tra voluntad, ò no. Buena estuviera yo Señor, si estuviera en mi mano el cumplirse vuestra voluntad en el Cielo, y en la tierra. *At scientia media voluntatem creaturæ, Dei voluntati præponit, ut satis inordinatè explicat Aranda lib. 7. disp. 34. sect. 5. §. 2. num. 178. Vbi impugnans Suarium ait:* Quinto, concurrere Deum, si creatura operatur, est necessarium, & non liberum Deo. *Et num. 180. ex P. Annato sic statuit Decretum prædefiniens:* Subordino, seu volo attemperare meam omnipotentiam arbitrio creaturæ. *Seu:* Ita volo concurrere, ut creaturæ tribuatur actus, vel non actus. *Meditare, piissime lector, an hæc, Doctrinæ Theresianæ cohæreant.*

V. M. Maria à Iesu de Agreda, in loco citato non potest attendi, quia non est tale caput; fortase citatur cap. 7. in quo, admirans reverentiam Christo exhibitam in Ierusalem, dum illam ingrederetur sedens super Asinam, à Sacerdotibus, & Pharisæis, illum ocidere tentantibus, ait: Porque sino fueran movidas interiormente con su virtud divina, sobre los milagros que avia obrado, no fuera posible, que tantos hombres juntos, muchos de ellos Gentiles, y otros enemigos declarados, le aclamaràn por verdadero Rey, Salvador, y Messias::: y assi era manifiesta en los efectos la virtud divina, que movia con su fuerza, y voluntad los corazones humanos, para que se rindiessen à su Criador. *Et post pauca ait:* Estendiòse tambien el poder divino à mover los corazones de otros muchos vivientes en todo el Mundo, &c. *Quæ omnia non de motione morali, aut de gratia congrua possunt exponi, cum ibi hæc V. Mulier satis ponderet improportionem, victam à gratia efficaci, mutante eorum corda, ut Deum adorarent, ipsum, quem paulò ante, seu vilem hominem, & seditiosum despiciebant.* 48 *De Maria à Iesu.*

Auctor piissimus libri de imitatione Christi lib. 3. cap. 55. ait: O quàm maximè est mihi necessaria Domine tua gratia ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum! Nam sine ea nihil possum facere; omnia autem possum in te confortante me gratia::: quid sum sine ea, nisi aridum lignum, & stipes inutilis ad ejiciendum? Tua ergo me Domine gratia, semper, & præveniat, & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentum. *Non sic loquntur Moliniani suo bono usui dantes efficatiam gratiæ.* 49 *Auctor devotus.*

V. Fr. Iosephus à S. Benedicto, novissimus scriptor asceticus, aliàs homo rudis, & qui in Claustris scientias non didicerat, jam apparebat scriptura doctus, dum obscurissima loca interpretaretur; jam summus in Theologia Scholastica, dum subtiles difficultates resolveret, *teste, proœmij operum ejus; Auctore, D. Ignatium à Loiola, ex parte imitatus, ad Aras B. Mariæ sub titulo de Monserrate, initia virtutum consecravit; & sicut Ignatius,* homo literarum planè rudis, admirabilem composuit exercitiorum librum, sedis apostolicæ judicio, & omnium utilitate comprobatum; *ita hic, quamvis professione laicus, sub umbra B. Virginis, agens vitam, librum ordinavit, de rebus altissimis, usque ad Magistrorum nobilium stuporem. Prodijt liber in lucem, Matriti, Typis Laurentij Francisci* 50 *Benedictus Laicus.* 51 *Approbationes ejus.*

cisci Mojados, anno 1725. hinc latino, hinc vulgari idiomate conscriptus. Et quia res primo sonitu difficiles pertractat, plures Doctorum approbationes, vices gerunt Apologiæ. Hi sunt celeberrimus Mag. Fr. Ioannes Baptista Lardito, primæ Cathedræ Salmanticensis Moderator Iubilatus, &c. Mag. Fr. Iosephus de Barnuevo totius Congregationis Benedictinæ Generalis. M. Fr. Ignatius Garrote, Ordinis Prædicatorum &c. P. Fr. Dominicus Lorsada, Lector Iubilatus Complutensis, & Provinciæ Castellæ, Regularis Observantiæ S. Francisci Provincialis. Collegium item Theologorum Cistercienfium Salmantinorum, subscriptis Abbate, & Magistris. Mag. Fr. Ioannes Interian de Ayala, Regalis Ord. B. Mariæ de Mercede, orbi literario notissimus, & suæ Provintiæ Præsul. R. P. Franciscus de Miranda, Societatis Iesu, in Salmanticensi Academia Primariæ Cathedræ Moderator,&c. Et R. P. Isidorus Cuellar, Soc. Iesu, in Collegio Salmantino Magister Theologiæ, & primus Prædicator, &c qui non perfunctorie, ut mos est in approbationibus, sed ex animo, & difficultate concepta, doctrinam prædicti laici, commendant.

52 *De gratia efficaci.* *Hic, ergo, V. frater parte 2. de las obras, opusculo 6. explicando las palabras:* Optio vobis datur: eligite hodie quod placet. *Iosue cap. 24. v. 15. al num. 30. comienza assi:* Claro està, que Dios no avia de violentar, ni hazer fuerza à los hombres para que le amassen, y sirviessen, sino que ordenando, y disponiendo todas las cosas suavemente, quiso, que con sana deliberacion, y libertad de la voluntad de cada uno, escogiessen lo que mejor les estuviesse, y assi les dà el opcion, diziendoles, que elijan: optio vobis datur: eligite. *Y al num. 31. hablando de la gracia, y auxilio suficiente, dize:* Pero, como esta gracia, y auxilio suficiente, no siempre consigue, el fin prospero, y eficaz, avrà acaso, quien piense, que Dios haze violencia, y fuerza à la alma, quando consigue en ella lo que pretende, por medio del auxilio, y gracia eficaz. Pero no es assi, porque en tal caso, jamàs pierde la Alma su libertad, sino que Dios, que es admirable en sus obras, obra en ella con un modo soberano, que no es facil entenderse, y menos declararse como es; porque la gracia obra en la Alma con la Alma, y la Alma coopera à la gracia con la gracia; y la gracia no haze cosa alguna sin la Alma, y todo es, y se deve atribuir à la gracia. Ut qui gloriatur in Domino glorietur. *Vide, quomodò distinguit auxilium sufficiens, & efficax: salvat libertatem cum gratia efficaci; fatetur mirabilem prædeterminationis modum; simulque docet, animam non se habere velut inanime quoddam.*

53 *Possadas.* *Huic addere possum, nostrum V. P. Fr. Franciscum de Possadas, qui licet Thomisticæ Scholæ, juramento astrictus, ob virtutum, & miraculorum ejus pium rumorem, ut testis, omni exceptione major, debet admitti. Hic ergo vir, satis doctus, & ut creditur, à Spiritu Sancto illustratus, in vita, quam prælo dedit, S. Patris N. Dominici, lib. 1. cap 29. pag. 216. dum narrat Novitium habitum ordinis dimisisse, & S. Dominicum pro ejus salute orasse, statimque prædictum Novitium, humiliter ante ejus pedes fuisse prostratum, ut à B. Patre, rursus habitum susciperet, mutationem illam*

sic

ſic depingit : Con grandes mueſtras de la mudanza, que avia hecho Dios en ſu Alma, en cuya poderoſa mano eſtàn los corazones de los hombres para bolverlos à donde quiere, ſin quitarles la libertad, &c. *Ecce nos verſatile dicimus cor hominis ad arbitrium Dei; Adverſarij autem ſtatuunt concurſum Dei verſatilem ad arbitrium hominis. Quare, inter æquites S. Ioannis, D. Vincentius de Oña, Magnus Caſtellanus ut dicitur de* 54
Ampoſta, & vir pijſſimus inter illos, cum audiret aliquem, de ſcientia media, & ejus conſequentijs differentem, hæc protulit: Ego Laicus ſum, in rebus Theologicis nunquam inſtructus; ſed mihi videtur, quod doctrina de ſcientia media, in qua bonum ſtatuitur ad arbitrium creaturæ, potius quam Dei, non eſt oportuna orationi, qua à Deo petimus gratiam, & perſeverantiam, &c. Percurrat lector ſanctorum ſcripta, in quibus, vix, ſcientiæ mediæ aliquid favens, poterit invenire.

PVNCTVM V.

OSTENDITVR S. IGNATIVM A LOYOLA, ET aliquos ejus filios, de rebus ſpiritualibus ſcribentes, eſſe pro prædeterminatione, & gratia efficaci. 55

OBIECTIO.

Meritò ridendus Magiſter Ferre::: Qui non eſt veritus citare pro Prædeterminatione P. Suarez; quid mirum, quod citaret noſtrum Sanctiſſimum Patriarcham Ignatium. Legatur Henao. Event. 46. *Ita P. Aranda lib. 3. diſp. 11. ſect. 3. num. 27.*

RESPONSIO.

D*Ivus Ignatius à Loyola, ita fuit Thomiſticæ doctrinæ addictus, quod* 56
Cardinalis Franciſcus à Monte, Epiſcopus Portuenſis, pro Canonizatione ejus orans, non dubitaverit, coram Gregorio XV. hæc verba proferre: **S. Ignatius.** Ignatius iſte novas opiniones nunquam admiſit, & in Theologia Scholaſtica doctrinam D. Thomæ ſecutus eſt. *Sic teſtantur plures, nullo ex Ieſuitis, hucvſque reclamante; imò cunctis plaudentibus, ut inſonuit Matriti, pro ſolemnitate Canonizationis BB. Ludovici Gonzaga, & Stanislai Koſca; in Sermone publicæ Luci dato à P. Monzon, Ord. Prædicat. Quod, & antea fecerat inſignis Archi-Diaconus, & Mag. Ioannes Eſpinoſa de Medrano, ut apparet in Serm. S. Thomæ pag. 243. col. 2. D. Ignatium Thomiſtam acerrimum exponens. In cujus ſignum, etiam vivens, filios in aliqua ſententia D. Thomæ oppoſitos, prudenter cohibuit, ne apparerent D. Thomæ infenſi, etiam in opinione tunc, & nunc, minus apud Theologos, recepta. Vti de Martino Olavio dicitur apud P. Maſeium lib. 3. de vita S. Ignatij cap. 9. pag. 558. editionis Florentiæ 1588.*

E *Hac*

57 *Constitutio S. Ignatij.* *Hac ratione, & affectu ductus S. Ignatius, in 4. part. Constit. cap. 14. Sic doctrinam D. Thomæ filijs commendavit*: In Theologia legatur, vetus, & novum Testamentum, & doctrina Scholastica S. Thomæ. *At mortuo D. Ignatio, & electo Præposito generali Didaco Lainez anno* 1558. *Statim facta est declaratio illius constitutionis, cum hac additione*: Prælegetur etiam Magister Sententiarum, sed si videretur temporis decursu, alius Auctor, studentibus utilior futurus; ut si aliqua summa, vel liber Theologiæ Scholasticæ conficeretur, qui his nostris temporibus accomodatior videretur, gravi cum consilio:: prælegi poterit. *Ita in Const. Soc. ibi. edit. Romanæ* 1583. *pag.* 166. *lit. B. in glossa. At Eleutherius lib.* 1. *cap.* 1. *ait, declarationem illam fuisse ex mente S. Ignatij, ut constat* *Eleutherius.* *ex manuscripto originali, Sermone Hispanico, quod servatur in cubiculo P. Secretarij, lecto ab ipso Eleutherio Romæ die* 22. *Aprilis anni* 1700. *quod quidem erat sic subscriptum*: Jacobus de la Fontaine. *At, observare ve-*
58 *lim, quod in ipsa Congregatione titulo* 3. *cap.* 53. *dicitur*: Cum Pater Sanctæ memoriæ Ignatius commisserit Tribus Patribus (*quorum duo Congregationi intererant*) ut salvo sensu, verba prout eis viderentur immutarent; an rata ea essent habenda, quæ eo vivente mutata fuerant in originali exemplari, quia non constabat, an ab eodem P. Ignatio recognita fuissent: vissum est, deputandos esse tres, qui viderent, & expenderent, & referrent ad Congregationem, quid de hujusmodi verborum immutatione sentirent; & hi fuerunt, Baptista de Parma, Christophorus Madridius, cum Mag. Joanne Polanco, qui commisso ibi munere functi sunt. *Ex quo ad num.* 64. *sic habetur super* 14. *caput.* §. Prælegetur. *Habebat textus*: Prælegetur etiam Magister Sententiarum; sed si videretur temporis decursu, aliam Theologiam, huic non contrariam, *studentibus utiliorem fore, &c. Hujus loco reponendum videbatur*: Prælegetur etiam Mag. Sentent. sed si videretur temporis decursu, alium Auctorem studentibus utiliorem fore; ut si aliqua summa, vel liber Theologiæ Scholasticæ conficeretur, qui ijs nostris temporibus accomodatior videretur, &c. *Placuit hæc emmendatio; sed expuncta fuerunt illa verba*: Huic non contrariam, *quæ erant ex mente S. Ignatij; & illa Acta simul cum Constitutionibus Typis fuerunt edita, sub ultima declaratione planè S. Ignatio contraria. Vide, mutationes factas sub Præposito Aquaviva. Vide num.* 7. *&* 8.

59 *Aranda de Ferre.* *Rem autem propositam attingens, facilè, apud Cordatos, Mag. Ferre possum à risu P. Aranda liberare, cum ille, non nisi producto hoc, & illo S. Ignatij testimonio, in favorem gratiæ efficacis adducat, ut patet ex libro Exercit. Romæ Typis dato anno* 1596. *fol.* 119. *&* 122. *Debuisset autem P. Aranda non ridere, sed loca à M. Ferre producta, expendere, & suæ*
60 *sententiæ adaptare. At ego, qui seriò extraneis, & contrariæ Scholæ utor* *Macedo de S. Ignatio.* *testimonijs, advoco P. Macedo Scotistam insignem, qui tom.* 1 *collat.* 11. *diff.* 4. *pag.* 486. *col.* 2. *hæc dicit*: Multis collatis, Ignatij, & Augustini, cum orationibus Ecclesiæ locis, ostendimus, gratiam in nobis potenter operari, nos excitare, agere, movere, regere, trahere, impellere, imò,

&

& compellere, quo verbo utitur Ecclesia, & Ignatius cum Augustino. Imò voluntatem inflammari, & ardere, & fervore magno ferri, dixisse Ignatium lib. exercit. pag. 23. in edit. Conimbricensi, 25. in editione Romana. *Nihil ergo mirum, quod Mag. Ferre, etiam confirmationem Societatis, festivè tribuat gratiæ efficaci, ex Orlandino Iesuita, qui* 61
tom. 1. pag. 52. col. 1. describit, qualiter S. Ignatius orationibus suis assecutus fuerit; quia Cardinales, repentè, præter consuetudinem, ad id quod tàm constanter repulerant, toto nutu voluntatis impelli, inclinarique se sentiunt. *Et de Card. Guiditionio ait, palam pronunciasse*: Huic (*confirmationi*) tamen refragari amplius, superiori quadam, occultaque vi, nec audere omninò, nec posse. Ita (*ait Orlandinus*) qui diu Societatis ortui fuerat obluctatus, tanta repente voluntatis inclinatione, favere cum Collegis Judicibus cœpit, ut, &c. *Illa superior, & occulta vis, erat forte gratia congrua, vincens repugnantiæ incongruitatem?* **Orland.**

Sed quis non credat D. Ignatium fidelissimum Thomistam, qui (teste 62
P. Maseio, in vita S. Ignatij lib. 1. cap. 19.) in Cœnobij Dominicani Gymnasio, Sacram Theologiam agressus est, *cum esset Parisijs, sub protectione M. Ori, Inquisitoris Dominicani. At si velis aliud testimonium, circa antiquos Iesuitas, accipe ex P. Muniessa in lib. 3. cap. 37. edit. Cæsaraugustæ 1691. vitam describente V. Ludovicæ à Borja, Sanct. Francisci Borja, Sororis, & Ducisæ de Villahermosa; & dicente, quod, magna tempestate exorta, adversus fundationem Collegij Societatis Iesu, itaut populus in tumultu, etiam lapides in Iesuitas jaceret, ipsa die, qua M. Fr. Thomas Esquivel, Prior mei Conventus, suis fratribus associatus, Missam in Templo prædicti Collegij, primam, celebrabat; coacti sunt, clam, à Cæsaraugusta recedere, usque ad oppidum de Pedrola, in quo V. Ducisa, eos benignè excepit. Inde postea, quidam Pater quasi furtivè ad hanc veniebat Civitatem, ut fundationis negotium, cum Personis sibi addictis, & prædicto M. Esquivel, (aliàs Cæsaraugustæ V. Ludovicæ Confessario) conferret, & tractaret. Fovebant Prædicatores, à suo M. Generali Romeo instructi, hujusmodi Societatis fundationes, ideoque P. Muniessa, hæc ibi subjunxit*: Al dicho R. P. Prior, y à su gravissima, y santa Gomunidad de Padres Predicadores deviò la Compañia muchos buenos oficios de religiosa caridad, y hermandad, honrando el mismo Prior el Altar de la Iglesia de la Compañia en aquella primera Missa del disturvio, y concurriendo su gran Comunidad à cantar el Oficio. Beneficios dignos de perpetua memoria en los Anales, y en los corazones de los Jesuitas. *Quæ quidem familiaritas, sine lege, ex alio capite, mutuum obsequium statuente, ut est apud Prædicatores, & Minores, non poterat esse, sub contrarietate doctrinæ, in gravioribus punctis.* **S. Ignatius.**

S. Franciscus Borgia, Gandiæ Dux, addictissimum Thomisticæ doc- 63
trinæ, sese ostendit, cum voluit, in Academia illa, à se, pro Iesuitis erecta, **S. Borgia.**
Theologiam doceri, quam & ipse didicit, à M. Fr. Hieronymo Perez, de quo Ribadeneyra in vita S. Francisci lib. 1. cap. 18. editionis Matritensis 1592. hæc scribit: Para esto traxo de Valencia à un docto, y famoso Theo-

Theologo, llamado Maestro Perez, que avia escrito sobre las partes de S. Thomàs, para que las leyesse en el Colegio de Gandia, y el oyò las liciones. *De prædicto Mag. Perez, Ord: B. Mariæ de Mercede R.C. & Primariæ Cathedræ Moderatore Iubilato, loquitur, non sine laudibus, Emin. Cienfuegos, in vita S. Francisci à Borgia lib. 3. cap. 6. & concludit:* Pues fueron Discipulos de este gran Maestro, muchos Jesuitas, de los mas doctos de aquel siglo. *Quo non obstanti P. Henao, contendit, malè citari à M. Zumel, contra scientiam mediam; cum tamen ille M. Perez in 1. part. D. Thom. edit. 1548. quæst. 23. art. 5. traddat expresè Prædestinationem ante prævissa merita. Et quæst. 14. art. 9. Agat de scientia visionis, & simplicis intelligentiæ, nulla alia cognita scientia. Et quæst. 19. art. 8. Loquatur, ut Thomista fidelis. Addimus, circa D. Franciscum, quod, teste Bibliotheca S. scripsit libellum, in quo exponuntur,* præcipuæ, & maximè necessariæ materiæ, è summa Theologiæ D. Thomæ Aquinatis, in litaniarum rationem redactæ, *in lucem editum Valentiæ 1560. & 1570. Idem traddit Ribadeneyra, apud P. Andream Scotum translatorem, lib. 4. cap. 4. num. 3. pag. 164. edit. Romæ 1596. dicentem:* Primam S. Thomæ Aquinatis summæ partem, dum evolvit, veluti litaniam, ex singulis articulorum capitibus, doctrinæ, memoriæque, simul, & pietatis gratia concinnarat.

M. Perez.

64 *S. Aloisius Gonzaga, his accensendus venit, de quo P. Virgilius Cepari, qui vitam ejus familiariter observarat, apud translatorem P. Ioannem Acosta, part. 2. cap. 5. hæc scribit:* No gustaba de opiniones extravagantes; su inclinacion era à las de S. Thomàs, por el orden, claridad, y seguridad, que allì hallaba, y por la devocion particular, que tenia à la santidad de este Doctor:: Al fin de su vida se avia reducido à no tener mas, que la Biblia, y las Partes de S. Thomàs: : Sabiendo un dia, que un Estudiante recienvenido (*al Colegio Romano*) no tenia Partes de Santo Thomàs, pidiò licencia al P. Retor para dexarselas, &c. *Hic annumerandus venit Iacobus Granados, qui in Bibliotheca Societatis, dicitur* vir Sanctus, & Pius, *scientia pollens, plusquam humana,* dictus à nonnemine, gravitate Seraphicus, claritate Angelicus; *& à P. Macedo, vocatur* insignis Thomista. *Quibus adjungimus V. P. Alphonsum Rodriguez, qui part. 3. tract. 1. cap. 15. editione Cæsaraug. ab ipso recognita, 1625. hæc habet:* Esta es, una de las mejores disposiciones, que puede tener el obrero de Dios, que entiende, que el de suyo no es para hazer cosa que algo valga, sino que toda su confianza, la ponga en Dios. *Et statim ad illud Pauli 2. ad Cor. 3.* Non quod sufficientes, &c. *ait:* Tenemos una confianza en Dios, tal, que entendemos, que de nuestra parte no somos suficientes, ni aun para tener un buen pensamiento, sino que toda nuestra suficiencia nos ha de venir de Dios. *Et cap. 16. pag. 80. in §.* Tambien ay otra razon, *ait:* Señor este negocio de la conversion de las almas, vuestro es, y no nuestro, porque nosotros, què parte somos para esso, si vos no moveis los corazones. *Proponatur huic viro, doctrinam suis dirigenti, argumentum quærimoniæ tyriorum. Legatur etiam novissimus*

S. Gonzaga.

65 Granados.

Rodriguez.

ſimus ſcriptor Señeri, apud translatorem Hiſpanum, part. 1. tom. 1. diſc. 6. pag. 117. Matriti 1693. Vbi cum Auguſtino dicit: No dize, ſin mi podeis hazer poco, mas dize, nada podeis hazer. Ni poco, ni mucho replica S. Aguſtin, ſe puede hazer ſin aquel, ſin quien no ſe puede hazer nada. Por eſſo ſi la ayuda de la gracia Divina, &c. *Legatur Ferre de P. Rho, tom. 2. tract. 6. in ſyllabo Auctorum, circa mutationem, quam ponderavit, ex vi gratiæ.* **Señeri.**

PVNCTVM VI.

EXAMINATVR SCHOLA SCOTICA, ET ALIÆ, & oſtenditur in favorem Prædeterminationis, & gratiæ per ſe efficacis. 66

OBIECTIO.

Contra Prædeterminationem, & gratiam per ſe efficacem, ſunt, Sanct. Bonaventura, Cartagena, Delfinus, &c. Item Ocham, &c. De eſtas dos graviſſimas Eſcuelas, y todos ſus Autores, confieſſan los Profeſſores Thomiſtas, que impugnan ſu ſentencia de gracia ab intrinſeco eficaz preveniente, &c. *Sic D. Collados, in ſuo Codice Apologetico, ex Henao, & alijs.*

RESPONSIO.

Non poſſum, oppoſitum ſcriptorum ſyllabum, diſcernere, quin lectorem moneam de contrariorum uſu, in Doctoribus citandis. Thomiſtica doctrina, quaſi Scholæ Theſera, adverſus Profeſſores ſcientiæ mediæ, eſt de gratia per ſe, & ex ſe efficaci; & de Prædeterminatione, *alijs, intra Scholam Thomiſticam diſputantibus, an conſiſtat in* qualitate, an in motione tranſeunte, &c. *At ſolemne eſt, apud contrarios, hoc dogma confundere, quaſi idem eſſet, negare* qualitatem, *ac reſpuere* præmotionem. *Sicut igitur, ego ſtultus eſſem, ſi Alarconem, & alios contra ſcientiam mediam inducerem, eo quod, non ſine aculeo, impugnat modum illam defendendi, qui apud Suarium, & Ruizium apparet, ita fatuus eſt, qui Auctores impugnantes, præmotionẽ conſiſtere in qualitate, indiſtinctè citat contra præmotionem. Præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia, omnes Catholici confitemur, & de modo illius præſentiæ diſputamus, quem quidem modum agnovit S. Ignatius Loyola, in Templo noſtri Conventus de Manreſa, ſeu Minoriſſa, Sacro Myſterio aſſiſtens, ut refert P. Roig Minimus, in Hiſtoria Minoriſſæ, pag. 360. Quis autem ita ſit fatuus, quod dicat me negare realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, quia in meis ſcriptis, hanc vel illam opinionem* de modo præſentiæ, *impugnavi? Ne ergo confundas quæſtiones, ad obſcurandas veritates. Similiter, apud Thomiſtas, certum eſt, poſſe de-* 67 **Ex p. præmotio.**

fendi Prædeterminationem ad omnes actus bonos, quin extendatur ad actus malos. Posse item defendi gratiam efficacem ad actus supernaturales, quin sit ad naturales; & tamen, dum quis negat præmotionem ad actus malos, confundi solet, quasi scriptor absolutè impugnans Prædeterminationem. Quo præmisso, ne Auctores, & eorum sensa obscuremus, illa proferre oportet, sub distinctione, qua Benedictus XIII. doctrinam Thomisticam commendavit, circa gratiam per se, & ex se efficacem, præcisivè à modis illam statuendi.

68 *Nullus autem in hac parte, pro Schola Scotica discernenda, magis arridet, quam P. Macedo fidelis, & acerrimus Scotista, qui expressè contra D. Thomam, pluries Scotum defendit, & cujus libertas scribendi apparet tom. 2. collat. inter D. Thomam, & Scotum collat. 9. differ. 3. sect. 8. pag. 546. Vbi loquens de D. Thoma, circa concursum Dei cum causa secunda (præter dicta supra num. 22.) hæc habet:* Diversus tantum fui Professione (*quia scilicet fuerat Iesuita per viginti, & amplius annos,*) & hodie sum Schola; verum non eo minus fidelior in illius sententia referenda interpres; imò, eò fidelior, quo liberior; nec enim Sacramento meos ei (*scilicet D. Thomæ*) addixi sensus; sed liberos retineo, & quidquid lego, id, uti scriptum est, affero. Nec servio Scholæ, nec timeo Thomistas stomachantes si discrepo à placitis Majorum, & ferulam minitantes, si dissentio. Mei sum juris, nec præoccupato, aut judicio aut affectu, judico:: Hæc, ut mihi fides adhibeatur persuadent, cum præsertim nihil sine textu sim dicturus. *Ferat igitur testimonium vir iste, qui in juventute doctrinam Iesuiticam hausit; in virili ætate, pro munere publico doctrinam D. Thomæ Patavij defendit; demumque provectus, Scoti placita accerrimè propugnat, & contra D. Thomam pluries, Scoti, & suam exprimit sententiam.*

Macedo de se.

69 *At lectorem Iesuitam audio, respondentem mihi:* Apage, nulla fides danda desertori; *scilicet huic, cujus egressus è Societate, ex ipsius constat ingenua confessione. Siste lector, & meditare. Stapletonius, Societatis, in cujus sinu est nutritus (ut fertur) licet desertor, testis est aptus, quia favet. Ferdinandus la Bastida apud Henao, & alios, quamvis desertor, defenditur totis viribus, ut conservans doctrinam de scientia media, quam Romæ defenderat; sed Macedo, ut desertor despicitur, quia liberè scribit, & scientiam mediam impugnat. Vt autem testimonium hoc, ex nulla parte robur amittat, observare te (lector) velim; quod iste P. Macedo, ingenuè reperit se diu in Societate vixisse, apud illos Patres, quos vocat* sanctissimos, *à quibus in Collegio Conimbricensi fuit instructus. Nullum unquam contrectavi librum in quo Iesuitæ plenioribus approbentur encomijs. Vazquium nominat* Scotum Jesuiticum, *& illum inducit; ut ad se trahentem complutensem Scholam. Antonium Perez vocat* Theologum mirabilem. *Benedictum Govea Magistrum suum, dicit* virum acutum, doctum, & solidum. *Collegium Societatis Conimbricense miris laudibus extollit. Iacobum Lainez* Theologum doctissimum *pronunciat. Suarium non nominat, nisi in laudes ejus effusus. Sicque de alijs loquitur, & de S. Ignatio, cui se addictissimum*

Macedo fidelis.

ſimum profitetur. Deſertor fuit Societatis; & etiam Thomiſticæ Scholæ, ut fatetur in præfatione ad lectorem. Legatur P. Tixeyra in ejus approbatione, ſic concludens: Conſtat autem ex ſtylo, candidè te, ac liberè ſentire, ac ut ſentis, ſenſa proferre. Tuo frueris judicio; nihil affectui, omnia veritati das, extra ſtudia partium, ingenuè, ſincerè, animosè, &c. Romæ poſtridie Kalendas Januarij anno 1673. ſervus in Domino. Simon Tixeyra Procurator General. Provinciarum Societatis Jeſu Luſitaniæ. *Quæ appobatio ideo à me notatur, quia non trahit formularium urbanitatis, ſed ſenſum accuratæ inſpectionis.* *Tixeyra.*

70 *Hic ergo Macedo tom. 1. collat. 10. diff. 4. ſect. 1. hæc ait*: Societas Jeſu, quæ in ſentiendo, & in dicendo libera, & ſui juris eſt, nec in ullius Magiſtri verba jurare ſolet, pene tota in ſententiæ Molinam ivit, excepto P. Henrico, Henriquez, P. Suarij Magiſtro inſigni, cui, quamvis luſitanus eſſet, valdè diſplicuit, cujus grave judicium, plurimos ab ejus approbatione deterruit. Cum Henrico, omnes penè alij Hiſpani Doctores, in primis Thomiſtæ, ſentiebant. *At loco antea citato tom. 2. collat. 9. diſſer. 3. in fine ſect. 4. ait*: Primum obſervo, ex duabus ſententijs Jeſuitarum, & Thomiſtarum, multò à me minus probari Jeſuitarum, quod derogare videatur majeſtati, & dignitati primæ cauſæ; & ſtatim inſtituit, §. 1. *ſub hoc titulo*: Refellitur ſententia Suarij, & Sociorum; pag. 516. *& ſic incipit.* *Macedo de Societate, & de Molina.*

71 *Equidem judico nimium tribuere illos Auctores voluntati, dum eam tam potentem, & Dominam efficiunt in operando. Ponunt quippè eam in omni ſtatu ſemper in arce quadam integræ poteſtatis cum plena in utramque partem facultate in æquilibrio conſtitutam, nulla inclinatione deflexam: ſed omnino ſui juris, & arbitrij, quaſi dantem leges cauſis, & circunſtantijs occurrentibus, ut nutui ſuo pareant, ſeque imperantem expectent. Cum tamen longè aliter res habeat. Etenim voluntas noſtra in hoc ſtatu naturæ lapſæ, in quo eſt, multum deſcivit, & declinavit à primo illo integritatis, & innocentiæ, quemadmodum nos docent Concilia Arauſicanum ſecundum, & Tridentinum. Præterea, multum illa pendet à cognitione, & propoſitione objectorum, & ſequitur intellectum præeuntem, eique ſe accommodat, non illum ſibi. Inſuper turbatur à concupiſcentia, tum iraſcibili, tum concupiſcibili: à qua ſæpè loco movetur, & à recta ſtatione deturbatur. Mirè, & variè afficitur motibus, & perturbationibus animi. interdum præmitur, & urgetur ab appetitu, & aliquando ineſcata, & tracta voluptate ſervit libidini. Parte alia à motu appetitus, & terrore concutitur, & in ſuo veſtigio nutat: & vix integram libertatem tuetur.* *Macedo de præmotione.*

72 *Iam verò ab ignorantia, & cæcitate mentis quoties corripitur, & deviat à recto tramite rationis? Quoties æſtu libidinis ardens ſine freno decurrit, & voluptatum cœno immergitur, unde non ſine luctu, & gemitu ſordidata extrahitur? Non rarò eam habitus inveterati ſic inclinant, ut ægrè ijs reſiſtat. Quin & conſuetudinis quædam domeſtica familiaritas eam ſecum habitare facit, & nova licet optima, ceu aliena negligere. Equidem nihil vidi antequam libera eſt ab affectu volubilius, nihil ubi eſt affectu oc-*

cupa-

cupata constantius. Nec tam est sui potens, & Domina uti fingitur; cum actibus primò primis appetatur, & prorsus occupetur, & incursus eorum, & effectuum concomitantium involuntarie patiatur. Flectitur Consiliis, monitis, precibus, minis, amoribus, terroribus, simulationibus, adulationibus, titillationibus, jocis, risibus, plausibus, iisque ducitur, & trahitur, ut nihil aliud agere illa, quam prædicti Auctores Dominam dicunt, quam servire omnibus videatur. Et tamen etiam tunc, dum tot modis afficitur, concutitur, immutatur, trahitur, flectitur, servat suam libertatem. Illud est quod miror, ab uno Deo, si is præmoveat voluntatem, & determinet, ejus libertatem tolli; ab aliis rebus creatis non aufferri. Timemus, ne à prima causa, cui natura sua subordinata est, & subjecta, necessitatem patiatur; non timemus, ne à causis secundis, quibus par, & æqualis est, & sæpè superior cum iis toties, totque modis obediat, libertas illius auferatur. Quod si ab his moveri, flectique potest sine injuria libertatis, cur non poterit ab illa inviolata conservari? At determinabitur à Deo, quod stare nequit cum libertate. Repono cur determinabitur? Non alio modo præmovebitur, ut antecedenter quidem afficiatur, & inclinetur à prima causa, non tamen determinetur ab ea servata libertate cum illa inclinatione, detracta illa integra, & in divisibili, & in utranque partem proxima facultate, servata justa libertate. Potest voluntas inclinata ad libidinem, fœmina frui, ac ea voluptate duci, & libera manere: non poterit à Deo inclinata, & præmota libera conservari? Sed iterum reclamant, eas affectiones, & præmotiones causarum secundarum inclinare tantum, non determinare voluntatem. Respondeo eas inclinationes concurrere ad determinationem voluntatis, quæ is antecedenter præmota consentit: nec ego volo ut Deus solus determinet, sed ut præmovendo intimè, & inclinando voluntatem antecedenter eam ad actum, quò inclinatur determinet: Hoc præmisso venio ad logicas, & breves quæ feriant, & convincant rationes, &c. huc usque Macedo.

73 **Macedo de Scotistis. De Mastrio.** *Fatemur, cum P. Macedo, aliquos Scotistas, Societatis doctrinæ favere, sed à Scoto recedentes in illo puncto. Quia tamen Mastrius, in Schola Scoti vir magni nominis, inter nobis contrarios numeratur, legendus est tract. de Prædestinatione disp. 5. quæst. 2. num. 228. Vbi concedit Decreta antecedentia sine læsione libertatis; quare Macedo tom. 1. collat. 10. diff. 2. in fine Mastrium inducit scribentem.* Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas. Sicut ergo nos liberè agimus, quia nostras voluntates in potestate habemus, ita eadem ratione poterit præfinire Deus ab æterno, quod sumus volituri in tempore. *Subjungit Macedo ibi*: Rediit tandem Mastrius ad Scotum; maluitque à seipso; quam à Scoto disentire: : Egregius ille Scotista est; volo eum ad Scotum reducere.

Macedo prædeterminans. *Defendit, igitur Macedo tom. 2. collat. 9. diff. 3. sect. 8. prædeterminationem, & negat esse qualitatem, & in fine sect. 8. affigit titulum*: Judicium Auctoris; *& ait*: Primum adverto D. Thomam in hac materia, idem prorsus, ac Scotum docuisse, quod attinet ad præmotionem, & determinationem causæ secundæ à prima in generali. In particulari autem, Scotum expresè rejecisse qualitatem il-

lam physicam prædeterminantem: : quam multi Thomistæ posuerunt; quia D.Thomas manifestè illam, nec posuit nec rejecit. *Et quia Iesuitæ solent adversus Nos proponere omnes Auctores, qui negant illam qualitatem, licet admittant præmotionem, monendi sunt verbis ipsius P. Macedò ibidem sect.* 4. §. 2. *dicentis*: Minori opera utar in refutanda sententia Thomistarum de qualitate physica, ut ajunt, impressa prædeterminante; tum quia de re, cum his consentio; de modo tamen differo. *Lege ibi.*

Felix Scotista, ita nobis adhæret, quod P. Henao, event. 3. *num.* 83. *exclamet*: In his Felix brebiat scripta à Thomasio; & vix alibi reperies Franciscanum, ac Scotistam, tam per omnia convenientem in rebus Scholasticis, Dominicano, & Thomistæ. *Idem dicent de P. Heno, Ord. Min. novissimo scriptore, acriter pugnante contra scientiam mediam, & in præfatione, notante, D. Thomæ, & Scoti, in punctis gravioribus concordiam. Ill. Merinero, licet* 2. *Phys. disp.* 4. *quæst.* 8. *sect.*3. *Non approbet concursum physicum prævium; num.* 52. *despicit argumentum, quo utuntur Adversarij, ex capite libertatis, & admittit præmotionem, quam non vult nominari* physicam, *sed* moralem, *cum effectu infallibili; & in hoc, quoad rem, non discrepat à Thomistis; ut diximus de Araujo. Legatur tom.* 1. *Cursus Theol. de scientia Dei disp.* 3. *quæst.* 6. *&* 7. *& disp.* 4. *quæst.* 3. *Vbi cum Thomistis loquitur contra scientiam mediam. Sed examinemus, Scotistas antiquiores, & præter Doctorem Subtilem Scotum, cujus verba prolixè ponderat Macedo; prius legendus est Ricardus de Mediavilla, vetustus Doctor, in* 2. *dist.* 25. *quæst.* 1. *fol. mihi* 107. *pag.* 3. §. videtur ergo. *edit. Venetæ* 1509. *Vbi ait, quod Deus non potest cogere liberum arbitrium,* quantum ad actum ejus proprium, propriè loquendo de coactione. Hic dico, propter hoc; quia benè potest ipsum efficaciter inclinare, & facere, ut liberum arbitrium, moveat seipsum liberè, ad quamcumque partem Deus voluerit, &c. 74 *Felix.* *Heno.* *Merinero.* *Ricardus.*

Cornelius Musus Episcopus Bitontinus, lib. 1. *de Divina Historia cap.* 15. *vocat motionem Dei: applicationem, & virtutem, qua Deus primò, & efficatius operatur, quam causa secunda. Insignis scriptor Rada, scripsit in Romana Curia, probans gratiam physicè prædeterminantem, non tollere libertatem. Cujus scriptum videtur in Archivio Ord. Prædic. volumine R. similiter Cartagena, scriptum adaptavit, quo ostendit consonantiam Div. Thomæ, & Scoti, circa prædeterminationem efficacem, & absolutam erga actus liberos. Ibidem lit. T. Idem, fermè docet Michael Medina lib.* 1. *de recta fide in Deum cap.* 2. *& lib.* 2. *cap.* 1. *Doctissimus Vega, in editione Coloniensi* 1572. *lib.* 6. *cap.* 6. *relativè ad cap.* 5. *de Iustificatione Concilij Tridentini, cui interfuit, pag.* 83. *vocat, motionem Dei,* nostræ voluntatis mirificam inclinationem, & inflexionem. *Et cap.* 9. *ait*: Primò enim excitanti, gratiæ adjutoria, sæpè propter libertatem nostram frustramus. Vocavi, inquit, & renuistis. Verum adjuvans gratia, semper habet effectum inmediatum, ad quem datur. Si Deus adjuvat nos ad credendum, credimus. Si ad diligendum, diligimus, si ad pœni- 75 *Musus.* *Rada.* *Cartagena.* *Vega.*

Herrera. tendum pœnitemus. *Doctissimus Herrera, qui in sui favorem adducitur ab Henao event. 44. num. 1045. in 2. lib. Sent. Scoti, Salmanticæ, 1600. disp. 38. quæst. 6. totus est pro nobis, & ponit sic*: Conclusio 5. voluntas divina in ratione potentiæ executivæ præmovet voluntatem creatam ad omnem actionem voluntatis ipsius, quatenus est actio realis, (etiam si sit actio peccati) præmotione physica. *Quibus adjungimus Card. Laurea opusc. 3. de gratijs actualibus, fol. 520. ubi defendit auxilium efficax.*

76 *Delphinus.* *Vt autem non immoremur, examinemus Delphinum Episcopum Trevisanum, & antea Ord. Seraphici Ministrum Generalem, nobis objectum ab Henao, & iterum à D. Collados, eo quod lib. 4. de libero arbitrio, (ubi §.* opera Dei, *vocat gratiam operationem Dei prius natura efficientem) §.* probatur Deum non posse deficere, *hæc dicit*: Cum Deus dederit nobis liberã voluntatem:: quis rogo sit adeo stolidus, ut existimet voluntatem factam esse liberam, non eo tamen, ut voluntate uteretur, sed, ut à prima ipsa causa determinaretur ad unum certum modum agendi, per inde atque res naturales determinantur? *Siste lector, & recole, quis Thomista somniavit, quod Delphinus impugnat? Dicit, quod notavimus ex D. Thoma, num. 9. scilicet, voluntatem non determinari ad unum modum agendi, sicut res naturales; ideoque dissertè, non dixit, ad unum* extremum, sed ad unum certum modum agendi. *In alijs scriptoribus examinandis non immoramur, quia eodem modo contra nos citantur. Faveat contrarijs*

Assermet. Theses. *Assermet Gallus, Ord. Min. contra quem, (ut P. Aranda aliquas minorum Theses nobis ignotas, & incertas, opponit) exponimus Theses, quas anno 1725. vidi publicè defensatas, Præside R. P. Lectore, nunc Iubilato, Fr. Michaele Crespo, S. Inquisitionis Consultore, in Conventu S. Mariæ à Iesu hujus Civitatis, in quibus legebatur, num. 19.* Decretum Dei absolutum, & efficax tendit circa omnes actus liberos creaturæ in particulari 20. Nec refugit operationes peccaminosas, quoad illarum esse materiale. 21. Deum non dedecet Decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti. *Sic loquuntur gravissimi Scotistæ, nobis in hac parte adhærentes. Recole in titulo objectionem, ex D. Collados.*

PVNCTVM VII.

EXAMINANTVR DOCTORES SOCIETATIS IESV, & apparent plures, præsertim antiqui, in favorem gratiæ efficacis, & Prædeterminationis.

OBIECTIO.

Stat denique contra Prædeterminationem universa Societas Jesu. *Aranda disp. 11. num. 26.*

RESPONSIO.

77 *Macedo.* HAnc *mihi adaptavit Macedo tom. 1. collat. 11. diff. 1. sect. 3. pag. 391. scribens*: Minor est inter Patres Jesuitas de hac scientia me-

media, quam vulgo existimatur, & quidam eorum scriptores jactant, in sentiendo concordia. Quod mihi, homini domestico (*fuerat enim per plures annos Iesuita*) perspectum est, ac exploratum. *Quare tom.* 1. *collat.* 11. *diff.* 1. *sect.* 5. §. 1. *affixit hunc titulum*: De tribus clarissimis Societatis Auctoribus, contra scientiam mediam sentientibus. *Et statim*: Tres insignes Theologos afferre volo, qui dissentiunt à Schola Jesuitarum, & cum Thomistis sentiunt. *Et quia ipse Macedo, hoc Lato Calamo demonstrat, uno, vel altero ego utar testimonio.*

Belarminus de gratia, & libero arbitrio lib. 4. *cap.* 16. *lit. B. Venetijs* 1599. *ait*: Altera ratio conciliandi libertatem, & fortassè etiam probabilior, est juxta sententiam D. Thomæ, qui docet, cooperationem divinam, ita concurrere cum causis secundis, etiam liberis, ut non solum eis dederit, & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, & aplicet ad opus, ut cognosci potest ex 1. part. quæst. 105. art. 5. & lib. 3. contra Gentes cap. 70. & quæst. 3. de potentia art. 7. Quæ sententia videtur valde consentanea, tum scripturæ, quæ dicit nos in Deo esse, vivere, & moveri, Actuum 17. Tum etiam rationi, & ordini quem habet causa prima cum secundis. *Sed quid, si mihi objiciatur, Belarminum in editione Lugdunensi* 1593. *dicere lib.* 1. *de gratia, & libero arbitrio cap.* 12. *contra gratiam efficacem Thomisticam*: Hæc opinio videtur mihi esse, aut omninò eadem cum errore Calvini, & Luteranorum, aut parum ab illo distare. *Quid si iterum mihi objiciatur, lib.* 4. *cap.* 14. *ipsum dicere*: Sententia, quæ ponit prædeterminationem istam in voluntate, non videtur posse distingui à sententia hæreticorum negantium liberum arbitrium. *Siste lector, & meditare an hæc objectio, cohæreat sententiæ Belarmini primum à nobis expressæ. Notandus est inconsequentiæ vir iste venerabilis, & doctissimus? absit. Rem aperiam.* 78 Belarminus.

Ipse, lib. 4. *cap.* 11. *in ipsa editione pag.* 543. *lit. D. ait*: Observandum, posse quatuor modis voluntatem à Deo inclinari ad aliquid appetendum, vel fugiendum. Primò, efficienter, & physicè, immediatè illam movendo, & determinando ad unum; nam si potest ipsa se determinare, cur non possit etiam Deus eam determinare? &c. *Quam doctrinam affert ex D. Thom. quæst.* 22. *de veritate art.* 8. *Vnde apparet, illas censuras Belarmini intrusas esse ab interpolatoribus, qui Ingolstadij curarunt editionem, anno* 1592. *cujus vitium translatum est ad editionem Lugdunensem, & alias. At cum Belarminus sua opera recognoscens, ad novam editionem voluerit expungi duplicem illam censuram, abrasa est ex lib.* 4. *cap.* 14. *ex incuria tamen locus ex lib.* 1. *cap.* 12. *mansit; ut ipse Belarminus Cardinali Asculano significavit. Sed ipse Belarminus de se loquatur in editione Venetijs* 1599. *in cujus præfatione ad lectorem, ait*: Ad eundem, & Typographos de recognitione hujus operis, Auctoris admonitio. *Et concludit*: Quare Typographos, qui fortè libros hos meos, cum legitima tamen facultate, recudent, hortor, & oro, ut juxta hanc editionem, diligenter fideliterque recudant. *Ideoque in posterioribus editionibus, Coloniensi* 1601. *Venetijs* 1602. *Parisijs* 1608. *apparent censuræ* 79 Opera Belarmini.

à

80 *à nobis allatæ contra sententiam Molinæ. Denique legatur Belarminus tom. 4. controv. 3. lib. 1. cap. 12. lit. B. scribens*: Existimant hi Auctores, in potestate hominis esse, ut gratiam faciant efficacem, quæ alioquin, ex se, non esset, nisi sufficiens. Hæc opinio aliena omninò est à sententia B. Augustini, & quantum ego existimo, à sententia etiam scripturarum divinarum. Nam S. Augustinus lib. de Prædest. Sanct. cap 8. dicit, gratiam, efficacem videlicet, à nullo duro corde respui, quia ipsa cor emmollit; ubi vides efficatiam tribui gratiæ, non voluntati humanæ. *Lege in eodem cap. & invenies plura non cohærentia; ex quibus cognoscas aliqua intrusa. Quo circa Iacobus Fuligatus, & Sylvester Petra Sancta, in vita Belarm. lib. 2. cap. 3. hæc habent*: Quando volumina controversiarũ disposita erant, ut in lucem edi possent, non modò æquanimiter, sicut ipsemet deinde Benedicto Justiniano testatus est, sed cum hilaritate etiam passus est, à Patribus Societatis in Germania, quoad paucalas opiniones immutari, in spem fructus inter hæreticos uberioris.

81 **Henricus.** *Henricus Henriquez, Magister Gregorij de Valencia, & Suarij, docens, prædeterminationem de ult. fine hominis cap. 4. num. 2. concludit*: Nec est ita difficile conciliare libertatem hominis, cum tali prædeterminatione, ut quidam putant. *In hujus igitur Auctoris discernendo sensu, non immoramur; cum fateatur Henao esse contra Molinam, sic dicens*: Una hirundo non facit ver. *V. Macedo, & P. Fasolus dub 17. num. 284.*

82 **Vazquez.** *Pater Vazquez, tertius est Auctor insignis, à P. Macedo productus contra scientiam mediam; sed quia contrarij, hoc propositum risu excipient, ipse Gabriel Vazquez ætatem habet, & volumina, ipse pro se loquatur; quare Macedo tom. 1. collat. 11. differ. 1. sect. 5. §. 1. notat Vazquium, 1. part. disp. 92. cap. 2. dicere*: Nec enim vocavit nos, quia futuri eramus, sed ut essemus:: præfinivit potius Deus, ut talem usum nos haberemus. *Disp. 95. cap. 9. ait*: Non esse in potestate hominis prædestinari, aut non prædestinari. *Disp. 91. cap. 14. num. 112. §. præterea, admittit doctrinam de gratia efficaci, citans D. Thomam, & Thomistas. Disp. 65. cap. 4. num. 22. ait*: Observandum: futurum, ita esse objectum scientiæ Dei infallibilis, eo ipso, quod re ipsa futurum est, ut tamen nostro modo intelligendi supponat Decretum Dei tanquam causam; ante quod nihil intelligitur verè esse futurum. *Et cap. 3. num. 17. ad objectionem sibi factam de futuris conditionatis, ait*: Respondeo primum, ubicumque fuerit Decretum ex eo optimè infertur Deum certò cognoscere omnia futura quæ decrevit. In his etiam futuris sub conditione, Decretum Dei nihilominus includitur, sine illo nanque nihil futurum est. *Quæ omnia evertunt fundamenta scientiæ mediæ.*

83 **Macedo de Vazquez.** *Pro quo, Macedo subjungit pag. 402.* Suspicor has novissimas disputationes P. Vazquij non esse prorsus germanas, sed subjectitias, & quidem ab alijs, quos dolebat, tantum virum à communi Societatis sententia recesisse, fuisse suppositas:: confirmo, non inanes esse meas suspiciones, quæ non sunt recentes, sed antiquæ, & jam tum conceptæ::

Inge-

Ingenuus sum, candidè dico. quod sentio. Expecto judicium Patrum Societatis, ac in primis Complutensium, quos vehementer amo, & colo. Nulli eorum studio, & officijs erga clarissimum istum Theologum cæsi, aut cedam. Qui me refutare velit, ei per me liceat; sed multis est opus molitionibus ad meas, opinor, cogitationes dissipandas. *Hæc Macedo, pro studio veritatis.*

Pater Azor, Theologus doctissimus, qui librum studiorum, alijs associatus, efformavit, in tomo dicato Clem. VIII. sub approbatione P. Claudij Aquaviva, quatuor Theologis Societatis commissa, in editione Lugdunensi 1610. lib. 1. Instit. Moral. qui ipso vivente editus est Romæ 1600. teste Bibliot. Soc. cap. 21. quæsito 8. lit. C. pag. 62. ait: Octavò quæritur, an Deus, quando cum natura, vel voluntate operatur, ipsam moveat, & aplicet ad agendum. S. Thomas apertè sic ait: (*scilicet 1. part. quæst. 105. art. 5. ad 3.*) Deus non solum, dat formas rerum, sed etiam conservat eas, & applicat ad agendum, &c. Quibusdam (*subjungit Azor*) difficilis admodum videtur hæc Sancti Thomæ sententia, videlicet, quod Deus moveat, & applicet ad faciendum causas à se creatas::: Cæterum mihi videtur, verissima Sancti Thomæ sententia; eam enim planè videtur Augustinus traddere, &c. *Ibi prolixe docet præmotionem physicam, etiam circa agentia naturalia, adducens pro hac sententia Aliacensem, & Gabrielem in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. notab. 3. Legatur iterum lib. 4. cap. 21. quæst. 2. lit. D. ibi*: Quæritur, an Deus præfiniat peccata. Præfinire est ante statuere, atque decernere, quid sit in rebus agendum. Sunt tres opiniones, quarum prima docet Deum nullum opus liberum præfinisse, &c. *Et post relatas opiniones, ait*: Inter has opiniones, quidam pauci juniores Theologi, primam tuentur, ut liberi arbitrij vim, & facultatem in agendò liberam defendant; sed fortassis, ut voluntatem nostram, liberam faciant, faciunt sacrilegam, dum negant Deum libera opera nostra bona præfinire. *Qui, tunc erant illi pauci juniores Theologi, nisi Molina, & ejus Assecla? Certè nullus Thomista apertius defendit prædeterminationem, ut non oppositam libertati. Sed de hoc Auctore in alio puncto redibit sermo, num. 206. Interim ostendat nobis P. Henao manuscriptum vallisoletanum, ex quo constat subscripsisse scientiæ mediæ in Vrbe anno 1599. quod supponit event. 5. num. 160. cum tamen in eodem anno pararet editionem hanc.*

84 *Azor.*

Aliacensis. Gabriel.

85

Pater Gregorius de Valencia in 1.2. disp. 8. quæst. 3. de divisione gratiæ puncto 3. pag. 885. lit. A. in editione Iugolstadij 1591. gratiam efficacem Thomisticam defendit, & ait: Ex quibus fit consequens, quod posita vocatione efficaci, necessariò ex hypothesi sequitur hominis conversio, ut rectè censuit Vega (*Scotista insignis*) lib. 6. in Concil. Trid. cap. 9. Nam si Deus efficaciter vocat, eo ipso concurrit efficaciter ad conversionem, & facit nos respondere; & tunc utique respondemus::: Quæ doctrina non pugnat cum eo quod est definitum in Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 5. & Can. 4. Liberè, scilicet, hominem vocationi respondere, itaut possit ei dissentire. (*Nota lector objectionem apud Iesui-* 87

86 *Valencia.*

tas magis recantatam.) Et postquam prolixè hoc explicat, subjungit: Necessitas enim ex hypothesi actus, vel præsentis, vel certò futuri, non pugnat cum libertate simpliciter. Cum enim quis respondet, eatenus liberè respondet, quia non fuit illi necessarium respondere, sed potuit vocationem rejicere; & etiam tunc cum respondet, in sensu diviso, ut dicitur, & simpliciter, potest non respondere, ut magis infrà declarabimus, cum ostendemus actiones supernaturales, quibus vocationi respondemus esse liberas, tametsi requirant auxilium Dei efficax, cui ex hypothesi resisti nequit. *Hæc P. Valencia.*

88 *Si hoc non sufficiat, legatur ibi* §. 2. *pag.* 890. *lit. E. ubi ait:* Tertia propositio: gratuitum hoc donum, ex quo, præter vocationem, & concursum actualem Dei, constat gratia adjuvans ad conversionem, ex sententia D. Thomæ quæst. 112. art. 2. & quæst. 113. art. 3. 6. 7. 8. quem Sotus lib. 2. de natura, & gratia cap. 18. & alij plerique meritò sequuntur, dicimus esse quandam motionem Dei,&c. *Puncto* 4. *distinguit gratiam sufficientem, & efficacem; & pag.* 915. *lit. D. describens, efficatiam gratiæ ait:* Itaut, quærenti, quare iste convertitur, rectissimè respondetur, quoniam, & habuit gratiam efficacem, quæ fecit, ut liberè converteretur, & ipse fuit liber, ut cum adjutorio ejus gratiæ converteretur. *In cujus probationem statim utitur testimonio Ioan.* 6. Nemo potest venire ad me,&c. *Ad Philip.* 2. Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere. *Et Ioan.* 15. Sine me nihil potestis facere. *Quibus testimonijs innituntur Thomistæ. Denique pag.* 916. *lit. D. postquam posuit conclusionem de conversione infalibili ex vi gratiæ efficacis, cum Vega lib.* 6. *in Trid. cap.* 6. *sic infert:* Ergo ita est impossibile non poni conversionem posita gratia efficaci, atque est impossibile non poni conversionem, posita ipsa conversione. *Videatur ibi:* 2. Propositio: Gratia hæc efficax,&c. *Sed de hoc Auctore redibit sermo, contra scientiam mediam.*

89 *Cardinalis Toletus lib.* 8. *Phys. textu* 20. *quæst.* 3. *cap.* 2. *ratione* 3. *ait:* Si Deus esset causa necessaria, secunda tunc causa videretur domina primæ, si pro ejus arbitrio primam ad agendum secum traheret; ac fieri demum posset, ut actionem necessariam primæ causæ secunda frustraret sua libertate. *Quæ doctrina opponitur Iesuitis defendentibus concursum Dei ad arbitrium creaturæ. Et* 2. *Phys. cap.* 3. *quæst.* 8. *postquam locutus est de virtute præstita à Deo causæ secundæ, ait: Deum eandem virtutem applicare ad agendum,& sic movere causam secundam, sicut Artifex movet instrumentum; & hanc conclusionem ponit:* Causæ secundæ operantur, sed à Deo motæ, & directæ, sicut instrumentum movetur ab Artifice. *Quoad gratiam autem efficacem, ad illa verba Ioan.* 6. *v.* 42. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. *Salvat liberum arbitrium contra Manichæos, ex Augustino, & ait:* Utitur autem scriptura hoc verbo, ut efficatiam divinæ voluntatis explicet, quæ homines suis vitijs maximè immersos, & diuturno tempore in his enutritos, nihil nisi carnale, sapientes,& appetentes, temporis momento convertit, ut omnibus, quæ summoperè, & diu dilexerunt, relictis,

Toletus.

Chris-

Christum sequantur. Hæc efficax, & solius dexteræ divinæ mutatio, tractio dicitur; non quod vi, necessitate ad Deum trahantur, sic enim minus efficax esset motio, sed quod ab his, quæ sola,& vehementissimè diligebantur, & propter quæ omnia prius contemnebantur, volens, & libens, homo ad omninò contraria repentè convertatur. *Hæc Toletus, in editione Coloniensi anno* 1599. *sub privilegio Sixti V. anno* 1586. *ad editionem Romanam. Vide num.* 119. *ex Suarie.*

Alphonsus Salmeron, Theologus ad Concil. Trident. missus, in Comentar. ad Rom. disp. 19. *pag.* 764. *edit. Matritensis* 1602. *ad illa verba*: Quos præscivit,& prædestinavit,&c. *dicit*: Dilexit eos, id est, firma sua, & immobili Prædeterminatione per certa media, quasi serie quadam instituit, ut possent ad gloriam pervenire. *Et in eodem loco ait*: Vocatio secundum propositum excellens, est firma, & eficax, & talis, ut illi liberum arbitrium, tanto dono Dei affectum, non renuat. In quo liberum arbitrium non læditur, sed magis statuitur, quanto magis à peccato declinat. *Hæc est Doctrina Thomistica de gratia efficaci*, & firma, *contra gratiam congruam, & versatilem. Ubi nota, quod Salmeron, teste Palavicino lib.* 7. *Hist. Conc. Trid. cap.* 7. *num.* 1. *jam anno* 1546. *erat Theologus à Pontifice missus ad Concilium, & locutus est de gratia* efficaci, & immobili Prædeterminatione, *quam rejectam à Concilio Tridentino vocitat Aranda, cum alijs.* 90 **Salmeron.**

Benedictus Pererius lib. 8. *Phys. de causis cap.* 8. *in editione Lugdunensi* 1585. *pag.* 464. *ait*: In eo autem, quod adjungit D. Thomas, causas secundas,& in his, voluntatem nostram à Deo moveri, applicari, & determinari ad volendum, licet nonnulli disentiant Theologi, ego tamen manibus, pedibusque in eam sententiam perquam libenter eo. *Deinde solvit cap.* 9. *communem objectionem prædeterminationis tollentis libertatem, de quo infra, num.* 253. 91 **Pererius.**

Collegium Societatis Conimbricense lib. 2. *Phys. cap.*7. *quæst.*15. *art.* 2. *pag.* 284. *in editione Lugdunensi* 1594. *concursum prævium, & prædeterminationem efficacem admittit, & pag.* 285. *hæc habet*: Deus videns causam secundam esse veluti in procinctu, ut exeat in actum certæ alicujus speciei, simulque esse prorsus indifferentem ad plures singulares actus sub tali specie, nec habere, unde sese ad unum potius quam ad alium determinet, huic perplexitati ocurrit efficacitate suæ voluntatis, præfiniendo, quinam actus singularis, hoc loco, & tempore, momentove exercendus sit sub illa specie, ad quam causa secunda se determinat. *Et postea addit*: Atque ita, quod actus, & effectus, hic potius sit quam alius, numero solo diversus, in ipsum Deum resolvitur. *Quæ doctrina est circa singularitatem actus. Vide infra num.* 308. *Ubi copulata Conimbricensia dicunt*, celebrem *esse, tunc temporis, opinionem de prævia motione statuta à D. Thoma; opinio autem de motione morali numquam fuit* celebris, *cum nullus hucusque illam impugnaverit.* 92 **Colleg. Conimbric.**

Huic adjungimus lumen insigne illius Collegij, Suarium, scilicet, qui, licet sibi consulens, & Societatem defendens, in sententiam Molinæ, licet 93 **Suarez.**

diver-

diversa via, inclinaverit, doctrinam de prædeterminatione satis apprebat tom. 1. Metaph. Salmanticæ 1597. disp. 5. sect. 9. num. 7. pag. 147. Vbi doctrinam Conimbricensium recitat, & ait: Hunc dicendi modum obiter attigi in citato loco, mihique non placere significavi, quia illa ratio non videtur satis philosophica, & quia in actibus liberis habet aliquas difficultates. Nunc autem, re attentius considerata, censeo esse valde probabilem; tum quia non solum Gregorio in 1. dist. 17. quæst. 4. art. 2. ad 7. & dist. 35. quæst. 1. art. 1. Et alijs Nominalibus, verum etiam multis modernis scriptoribus doctissimis placere video.

Gregorius. *Nominales.*

94 Toletus enim 8. Phys. quæst. 3. conclus. 2. rat. 3. ex hoc colligit libertatem primæ causæ, quod pro sola voluntate sua determinat causas secundas, ad individuos effectus. Fonseca etiam 1. Metaph. cap. 2. quæst. 3. sect. 8. dicit in quibusdam effectibus necessarium esse recurrere ad divinam determinationem, & prædefinitionem, quod repetit lib. 1. cap. 2. quæst. 9. sect. 3. rat. 6. qua probat essentialem dependentiam causarum secundarum à prima in agendo, & idem docent copulata Conimbricensia lib. 2. Phys. cap. 7. quæst. 15. art. 2. *Et disp. 22. de concursu causæ primæ sect. 2. num. 41. ait:* Similiter verum est Deum posse sua voluntate æterna prædefinire effectus suæ Providentiæ consentaneos; posse item voluntates hominum movere, quò vult, & quando, & quomodo vult; atque ita posse etiam, & sæpè conferre hominibus auxilia efficacia gratiæ juxta mensuram voluntatis suæ, sed hæc non pertinent ad concursum generalem. *Quod totum est contra*

Toletus.

95 *doctrinam de gratia congrua, ut per se patet. Hoc scripsit Suarius, & prælo mandavit anno 1596. quando nondum tota Societas Molinæ positiones susceperat defendendas; hoc enim suscepit an. 1599. tractatus autẽ de gratia edidit post plures annos; & secundum tomum de concordia, & de scientia media, ipse non edidit, sed illo Vlissipone vita functo, post aliquos annos prodijt in lucem; ut apparet ex scriptura vitæ ejus, scilicet anno 1620. Lege* prædeterminationem *ut ex D. Thoma, lib. 5. de auxilio efficaci cap. 6. num. 6. juxta dicta supra num. 2.*

96 *At fortè inquiret curiosus lector; quid, quod in illis primis Auctoribus Societatis sit tantus circa doctrinam Thomisticam favor? dicam sincerè. Fuligatus, & Petra Sancta lib. de vita Belarmini cap. 5. loquentes de sententia Molinæ, dicunt:* Quam sententiam, etsi aliqui, eò quod unius privati scriptoris nata ex ingenio erat, minimè censebant defendi debere à Societate universa; attamen hi, qui tum præerant, aliter deliberarunt. *Similiter P. Mariana, citatus, ab Ill. Carolo Mauritio Le-Tellier,*

Varietas Iesuitarum.

97 *Archiepiscopo Duce Rehemensi, in suo Decreto Gallicè promulgato, & dato die 15. Iulij anni 1697. in libro, quem, in ipso Decreto affirmat, in sua Bibliotheca servari, ait, quod Assistens Romæ, & Provincialis Hispaniæ nimia solicitudine procurarunt, doctrinam Molinæ ab universa Societate defendi; quo factum est, quod aliqui scriptores, plura deinde exprimerent contra propriam mentem jam publicis editionibus conspicuam; & quod interpolatorum cura, in eorum libris fieret mutatio. Sed unde hoc colligo? Legatur*

Archiep. Rehem.

tur Henao, qui event. 14. à num. 389. sibi objicit ex nostro Martinez de Prado additionem, vel substractionem, circa aliquod opus posthumum P. Suarij; & num. 390. pag. 134. hoc ingenuè fatetur, dicens: Non ibo inficias inveniri in aliquo opere posthumo scriptorum è Societate, correctam aliquam sententiam, quam ipse tenuisset in alio libro edito à se, dum viveret. Neque item negabo permitti aliquam, quæ antea fuisset expressa, aut indicata. At, & id potest cadere in opera, quæ non sint è Societate. *Vide dicta de Belarmino.* 98 *Henao de editionibus.*

Nefas esset omittere, in hoc puncto mutationem Ferdinandi de Bastida, qui in solemni disputatione, diu repetita, Romæ fuerat publicus scientiæ mediæ pro tota Societate defensor, & in Hispaniam rediens sub initium anni 1608. excussit Iesuiticam vestem, & doctrinam. In cujus examine non immoramur, cum præter testimonium Ill. Archiepiscopi Hispalensis Fr. Petri de Tapia, qui hoc, dum esset primarius Complutensis, in tract. de gratia, nullo reclamante, dictavit, sit etiam assertio Thomæ Sobeges in elucidat. ad mensem Maij, & Pauli Fuseau cap. 2. sect. 6. Quin hoc negent P. Henao, & Phyllaletus, quamvis doctrinæ constantiam velint defendere; sed tamen Henao num. 150. ait; quod si defendit Bastida prædeterminationem, hoc fecit Bastida, ne demereretur Prædicatorum Patrum gratiam. *Ipse num. 159. agens de Henrico, ait quod ad Dominicanos transierit, ob certam correctionem P. Aquaviva, sed demum ad Iesuitas rediit. Hoc verum est. Sed quid, quod Bastida non rediit, qui faciliter poterat dispensari, circa defectum, quem P. Henao exponit? Certè quem Societas Romæ habuit scientiæ mediæ Ducem, passa est postea publicum Desertorem. Plures alios possem his adjungere, ut pote P. Canisium, Granadum, Rho, Costerum, sed quia M. Ferre satis prolixè de illis disserit, contra P. Henao, illuc lectorem mittimus.* 99 *Bastida.*

Quia tamen Adversarij, exponunt, quamvis sine testimonio sufficienti, plures Theses, & Dominicanorum aliquas, adversus prædeterminationem, aliàs ego inquirere curavi, ab ipsis Iesuitis publicè expositas. Anno 1589. (& consequenter antequam Societas susciperet Molinam defendendum) propugnatæ sunt Theses Romæ in Collegio Romano Societatis Iesu, sub hoc titulo: Theoremata, *ac problemmata ex Sacra Theologia universa à Iacobo Marchisetto Pisaurensi, ad Ill. & R. D. Evangelistam Palottum S. Rom. Ecclesiæ Cardinalem* Cusentinum, &c. *In quibus Thesibus; alia erat*: Causa primaria, & radicalis, cur aliquis convertatur, est divinum beneplacitum, movens illum efficaciter, & suaviter. *Alia sic*: Stante efficaci gratiæ auxilio in aliquo, is potest dissentire si velit, non in sensu composito, sed diviso, libertate antecedente, non consequente. 100 *Theses Iesuiticæ.* *Roma.*

Anno 1674. in Collegio eodem Romano, fuerunt expositæ Theses ab Agapito Falgatio, Romæ Typis hæredum Corbeletti, superiorum permissu, inter quas, defendentes prædestinationem ante prævisionem absolutam meritorum, alia erat : Illud statuimus cum D. Augustino, & D. Thoma, auxilia efficacia à Deo conferri secundum efficax, & absolutum Dei Decretum, seu propositum salvandi hominem, aut ad se convertendi, 101 *Roma.*

aut

aut faciendi illum divinis vocationibus consentire. Hæc Dei voluntas est gratia increata prima simpliciter, & antecedens gratia ab intrinseco efficax, per quam primò discernitur quicumque benè operatur à non operante, & quicumque Deo consentit ab omni non consentiente. Admittimus ergo à Deo de facto prædefiniri absoluto, & efficaci Decreto, simpliciter antecedenti omnem nostram bonam,& liberam operationem aliquomodo conducentem ad salutem. *Qualium Thesium expositionem, nullus negare debet, cum ita defensatæ legantur in libris, Romanorum examini conspicuis.*

102 *Vienna. Caramuel.* *Audiatur Caramuel tom. 1. Theolog. Fundam. lib. 1. fundam. 1. thesi 3. num. 64. editionis Lugdun. nota 4. dicens* : Anno 1654. in Universitate Viennensi P. Heruvart, Societatis Jesu, magni ingenij Doctor defendit, iterum, iterumque *esse possibilem qualitatem, quæ ex essentia sua physica,& reali, infallibilitatem, illæssa libertate, induceret.* Fuit disputatio celebris, & quia jussus fui argumentari primo loco, unam, aut alteram consequentiam subjicio, &c. *Et concludit.* Quo enim attentius ejus Theses considero, eò videtur mihi clàrius subscribere Thomistarum sententiæ. *Et bene arguit Caramuel, quia Iesuitæ docent impossibilem esse talem qualitatem ; & si possibilis esset, non esset quæstio, etiam inter Thomistas illam negantes.*

103 *Romæ.* *Aliæ theses fuerunt propugnatæ in Collegio Romano S. Iesu anno 1561. sub hoc titulo*: Assertiones Theologicæ ex publicis lectionibus in epistolam ad Ephesios,&c. *Vbi verba Pauli (cap. 1. v. 4.)* elegit nos,&c. *Sic explicata sunt*: Non quia sanctos futuros viderit, elegit nos Deus, sed ejus electio fecit, ut sancti essemus,&c. *Ideo fortè ipse Caramuel ibi n.26. dixerat*: Patres ergo, Jesuitæ, cum volunt suam opinionem suadere, sententiam Thomistarum persuadent, & se ipsos impugnant. *Imò P.* 104 *Martinonus.* *Martinonus, sicut de Aranda diximus suprà in, suo Anti-Iansenio disp. 26. sect. 3. num.25. sententiam de* gratia congrua, quamvis in Societate celebrem, improvat, ut excogitatam à Suario ad emolliendas difficultates circa auxilia divinæ gratiæ. *Pater Ioannes Mariana, qui (teste Alegambe)* anno 1569. Parissios concessit, & magna nominis celebritate in illa Academia D. Thomam Aquinatem quinquenio est interpretatus; *Thomistis est annumerandus, cum scholas, & studia sua, nondum sonante opinione Molinæ, exercuerit. Lege infra.*

Vt autem non miretur lector prædictum Iesuitarum syllabum, qui in 105 *P. Fonseca.* *favorem Prædeterminationis apparent, meminerit quæ P. Fonseca, ante P. Molina scientiam mediam excogitans, & ruminans, dixit lib. 6. Metaph. cap. 2. quæst. 4. sect. 8. pag. 119. Lugduni 1605.* Ante annos triginta, quam hæc scriberemus (scribimus autem anno Domini 1596) cum materiam de Providentia Divina, & Prædestinatione, &c. *Nota lector annum 1566. quo jam Fonseca meditabatur scientiam mediā. Prosequitur Fonseca*: Quanam faciliori ratione, infallibilis Dei præscientiæ, ac providentiæ certitudo, nullam creatis voluntatibus in agendo necessitatem afferre intelligatur ; eas enim semper nobis persuasimus (*perpende verba*)

Impugnat præmotionem physicam, ut verā, & realem.

verba) non ab alio physicè (hoc est, vera, & reali actione) sed à seipsis ad actus liberos determinari,&c. *Vide, qualiter Fonseca, novam aperiens tunc temporis viam, vult auferre necessitatem voluntatis in agendo, per hoc quod non moveatur ab alio* physicè, *hoc est: vera, & reali actione; quo patet, anno* 1566. *motionem illam* physicam *defendi communiter; & Fonsecam illam respuere, ideoque statim subjungit*: Unum, illud, scrupulum injiciebat, ne hac ratione, novum aliquid fortasse induceretur, quod non, omni ex parte, cum communi Patrum doctrina, aut diligenti Scholasticorum examine, & accurata lima, conveniret. Neque, enim, quisquam erat, qui hoc pacto libertatem arbitrij nostri, cum divina præscientia, aut providentia, apertè, & ut dicitur, in terminis conciliasset. *Vnde scrupulus novitatis oriretur, contra doctrinam Patrum, & examen Scholasticorum, usque tunc, de removenda motione physica, & statudenda scientia media, si motio* physica, *per illud tempus, non esset doctrina quasi communis apud Scholasticos? Et tamen Aranda, illam dixit à M. Bañes inductam post annum* 1570. *P. Albertinus, qui opus suum Cardinali Belarmino dicavit; in edit. Lugdunensi* 1610. *ex* 4. *principio philosophico, pag.* 285. *lit. B. ait*: Sexta sententia est Molinæ ingeniosi doctoris,&c. sed contra hanc sententiam arguitur. *Ibi impugnat opinionem Molinæ circa medium cognitionis futurorum; & satis favet præmotioni, pag.* 282. *lit. B. num.* 6. *dicens*: Alij gravissimi, & doctissimi Auctores respondent, voluntatem prædeterminari efficienter physicè ad unum in sensu composito, in sensu autem diviso manere indifferentem, quare potest Deus videre in ipsa causâ prædeterminata effectum contingentem futurum; & hi quidem optimè salvant, modum cognoscendi hujusmodi futura, supposita hac prædeterminatione. *Perpende ultima verba.* 106 107 *P. Albertinus.*

De Comentatoribus Sacræ Scripturæ, numerat Macedo, alios, scilicet, Maldonatum, Barradas, Sà, Cornelium, Iustinianum, Lorinum, Riberam, Viegas, tom. 1. *collat.* 10. *differ.* 4. *Et tamen illos citat P. Herice tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 7. *cap.* 1. *respectivè in favorem scientiæ mediæ. Loquatur pro omnibus Cornelius Alapide, qui Ecclesi.* 33. *v.* 12. *ad illa verba*: Et convertit illos, *ait*: Sola enim (Gratia) efficax, reipsa præstat nobis conversionem, operationem bonam; & magnum illud perseverantiæ donum, ac per illud rectè, & infallibiliter, hominem ad salutem, & gloriam æternam perducit,quorum nihil facit sufficiens dumtaxat. Quare, pro efficaci continuè, cuique ardenter orandum est, utpotè in qua, Cardo salutis, omnisque boni consistat, nam ut ait Augustinus, &c. hæc gratia à nullo duro corde respuitur. *Et concludit*: Gratia ergo prævenit, ut domina, voluntas sequitur, ut pedisequa. *Liber editus est anno* 1629. *si autem aliter loquatur, in epist. Pauli, judicabit lector, quod hæc commentaria, edita sunt an.* 1614. *Non credo, autem, quod iste vir in re tam gravi tam apertè sibi contradixerit. Consequenter, Claudius Typhanius lib. de ordine, deque priori,& posteriori, pag.* 362. *infra citandus, ait*: Doctrinam de præmotione aptam esse ad ingenerandam, & alendam, 108 *Cornelius.* 109 *Typhanius.*

nos-

nostram erga Deum reverentiam, & gratitudinem: : Per scientiam vero mediam orandi studium imminui.

PVNCTVM VIII.

110 *EXAMINATVR LEGITIMA SEQVELA DIVI Thomæ, apud Dominicanos, & alios Thomistas.*

OBIECTIO.

Excepto uno, aut altero puncto, non cedimus Dominicanis Patribus in studio, & cura sequendi vestigia Sancti Thomæ. *Henao event.* 19. *à num.* 560. *& alij.*

RESPONSIO.

111 *Valencia.* NOn me latet, & libenter fateor, plures Iesuitas, D. Thomam miris laudibus efferre; ejusque doctrinam secutos fuisse, quousque libertas opinandi est concesa, ut diximus num. 7. Scio P. Valencia, in præfatione tomi in 1. 2. sic lectorem monuisse.* Sententiam D. Thomæ, prout meritò debui, ordinariè sum fecutus; *& statim assignat causam, quia est apud Scholasticos facilè Princeps;* quandoque tamen, *ait*, idque rarò à D. Thomæ sententia discedimus, sed non sine ratione,& auctoritate aliorum Theologorum, &c. *Scripsit Valencia, sub aliqua libertate jam permissa in libro studiorum; & tamen dixit, se discedere, raro, à D. Thoma. Scio P. Pererium in Præfatione Physic. hæc proferre:* D. Thomam, eximium Philosophiæ decus, & splendidissimum Theologiæ lumen, firmissimumque columen præ cæteris miramur, & colimus, cujus divini ingenij,&c. *Scio, M.P. Suarium, qui alios, ut in sapientia, ita & in modestia excelluit in Prolog. 6. cap. 6. num 28. dixisse:* Solum in hoc loco D. Thomam adjungimus; quia sicut in explicandis fidei mysterijs cæteris Scholasticis Theologis antefertur, & primis Ecclesiæ Doctoribus comparatur, ita in illustrandis difficillimis de gratia, & libero arbitrio controversijs, ipsi Augustino, eum suparem reputamus. *Similiter de Religione tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 6. num. 12. scripsit.*

Pererium

112 *Suarius.*

113 *Granados.* *Scio P. Iacobum Granados, qui in Bibliotheca Societatis, appellatur,* vir, omnium quibus convixit opinione, prudentia, doctrina, sanctitate maximus, & meritò inter prima Societatis columina, numerandus; ut potè, qui Baptismi stolam, nullo crimine unquam defœdatam, etiam virtutibus exornavit; *fuisse insignem Thomistam, ut diximus ex Macedo tom. 2. collat. 6. dif. 4. sect. 5. pag. 296. cujus doctrinam, pro scientia media, cum in alijs punctis, quæ Theologi Societatis unanimiter defendunt, ab illis frequenter recedat, lectoris discussioni committimus. Siste nunc lector, & miraberis. Hic vir ita famosus, præfationem instituit, pro Commen-*

tario

tario in 1. part. D. Thomæ, in qua 5. capita discernit, quorum tertium erat: Caput 3. de S. Thomæ Aquinatis ingenio, atque doctrina mirabili; *ibique editione Hispali 1623. & edit. Matrit. Præfatio 5. Capitibus exornata apparebat. At cum nova fieret editio Mussiponti in Lotharingia anno 1624. apud Sebastianum Cramoisi, curantes editionem, totam Præfationem abraserunt. Si lector dubitet, legat hanc editionem, & inveniet detectam fraudem, vel fortè incuriam, nam, Deo sic volente, non sunt abrasi tituli capitum præfationis in Indice, qui ad cap. 3. & alia, inutiliter ducit lectores.*

Scio alios quamplurimos D. Thomæ addictissimos, inter quos eminet 114 *P. Alamanius Mediolanensis, in duplici ingenti volumine Parisijs edito 1640. sub hoc titulo:* In hoc opere unus D. Thomas loquitur. *In epistola nuncupatoria Dominicanis directa, hæc scribit:* Quo tempore Mediolani, eorum mandato, quibus, ubi sapere cœpi, vitæ meæ commissi rationes, Theologiæ traddendæ curriculo, Doctorem Sanctum, Ducem secutus, versabar, adeò me illi addictum, deditum, & adstrictum, professus sum, ut ne latum quidem unguem, ut vulgò dicit solet, ab illius doctrina discesserim; sed ejus sententiam, in quacumque quæstione secutus, quidquid ille probarit, approbarim; è contrario reprobarim, quidquid ille rejiceret. Tantus hic meus, erga Sanctissimum Doctorem amoris ardor, & observantiæ studium, &c. *Sic respectivè senserunt, & scripserunt plures ex Societate. Sed siste, & lege.*

Alaman.

P. Valentinus Herice, præfationem instituit pro lectoribus, & ratio- 115 *nem scribendi exprimens in tomo edito Pampilonæ 1623. ait:* Fateor me esse Thomistam, at non servum, non juratum, sed devotum, non actum prædeterminatione, sed proprio euntem arbitrio. Nec enim S. Thomas amat Discipulos tam stricto vinculo sibi devinctos, ut continuo obsequio Magistri mentem suam traddant mancipandam: aliena ergo est à mente illustrium Thomistarum, hæc tam cœca, ac supestitiosa mentis servitus: est enim Angelicus Doctor Sol splendidissimus: at Sol etiam cognovit occasum suum, & aliquando obscuratur, objecta ex parte nubecula. *Strictum vinculum reprobat, quo P. S. Ignatius illum devinxit, quo plurium Religionum leges suos ligant. Vnde ex ejus doctrina etiam juramentum nostrum est nullum. Deus non reprobat (imò & in plurium doctorum opinione, quam & ego amplector, positivè approbat) fideles, qui invincibiliter errantes sequntur, aliàs malũ, ex fine charitatis; sicque D. Tho. poterit amare discipulos illum sequentes, ex sincera devotione, & amore veritatis, ut protulit P. Alamanius, quãvis apud P. Herice, aliquãdo errent.*

Herice.

Nec exemplum M. Cano, quo ibi utitur, intellexit lib. 12. de locis 116 *Theologicis, ubi loquens de suo M. Victoria, hæc habet.* Vir erat ille natura moderatus, at cum D. Thoma aliquando dissensit; majoremque meo judicio, laudem dissentiendo, quam consentiendo assequebatur. *Omittit Herice, hæc quæ immediatè M. Cano subjunxit:* Tanta erat in dissentiendo reverentia. *Quasi diceret, esse laudabilem reverentiam, qua dissentiebat. Interim M. Cano, & P. Herice ostendant mihi locum illius dissensus; quamvis non me lateat, in aliquibus punctis, Theologiæ admixtis, & illi*

Cano.

aliquomodo extraneis, posset quis à D. Thomæ opinione discedere, ut contingit in rebus historicis sæculi, quæ examini criticorum objiciuntur.

117 Raynaud. *Affinis est locutioni P. Herice, P. Theophilus Raynaudus, qui diatriba 4. §. 55. hæc scripsit:* Extra eorum (*Thomistarum*) tamen Scholam propositiones, nunc appendendæ habentur inanes, & rejiciuntur, quia doctores, nullius addicti jurare in verba Magistri, nec passi eum servilem, & (ut Seneca appellat) pecuinum spiritum, quo aliqui velut muta pecora in sentiendo feruntur, quæ cum manifesta ratione pugnare vident. *Vide lector, an hæc concordent Constitutioni S. Ignatij, & litteris monitorijs P. Aquaviva supra relatis. Omnia verba sunt contra Thomistas, & Scotistas qui Principem habent scholæ.*

118 Oviedo. *Pater Oviedo in lib. Phys. controv 9. punct. 4. num. 2. edit. Lugdun. 1651. circa opinionem de mediata operatione substantiæ (quæ, abs dubio, est D. Thomæ, imò Suarij, & Pererij negantis substantiam posse esse immediatè operativam, lib. 8. Phys. cap. 13.) puncto 3. §. 4. num. 56. dixit:* Deus, quia totam suam omnipotentiam, ex vi hujus Decreti (*scilicet indifferentis*) veluti voluntati creatæ commisit, in ordine ad illum actum, ut illa utatur, vel non utatur, secundum suum arbitrium. *§. 6. num. 90. ait:* Hæc quæ naturæ lumine nota sunt omnibus, sunt, quæ Thomistas decipiunt, seu quod certius judico, quibus ipsi nos decipere procurant. Nunquam enim credidi doctissimos viros de his dubitasse. *Sic loquitur P. Oviedo, ignorans forte, quod deceptio procurata non cadit in illos, cujus ordo, Pontificio, & imperiali suffragio,* ordo veritatis *proclamatur.*

119 Marin. *Pater Marin, quia modernus scriptor, pro alijs loquitur, pluries expressè à D. Thoma recedens. Legatur tract. 2. de Trinitate disp. 6. sect. 3. num. 31. Ubi, inquirens quare processio verbi sit generatio, & inducens rationem D. Thomæ, ait:* Respondeo: hunc esse discursum clarum D. Thomæ, quem, ejus venia relinquemus in hoc puncto. *Et postea solvit rationem D. Thomæ, quam sibi objecerat. Sic in mille locis.*

120 Alarcon. *Pater Alarcon tract. 2. de scientia Dei disp. 4 cap. 4. Lugduni 1633. postquam asserit, licet falsò, ut infrà demonstrabimus, Thomistas à Iesuitis convictos esse, ad scientiam conditionatorum admittendam, subjungit:* Adeò, ut pene miraculo nonnulli tribuant, Auctores nostros omnes, ubique terrarum, nullo Duce, in hanc sententiam conspirasse. *Hic fatetur nullum fuisse Ducem. At si de Patribus fiat sermo, assignantur Duces Augustinus, & Thomas; & juxta Manrique citatum ab Henao, Dux fuit P. Molina.*

121 Samaniego. *An autem Dominicani, & alij, sequantur fideliter D Thomam? Præbeat testimonium insignis Scotista, Ill. Samaniego Plasentiæ Episcopus, & antea Ordinis Seraphici Minister Generalis, qui in vita V. Ioannis Duns Scoti, Doctoris Subtilis, & Scholæ Minorum Principis, lib. 3. cap. 9. Ex Ioanne Poncio in Prologo sui Cursus Theologici, hæc vulgari idiomate pronunciat.* A lo qual, aunque parezca Paradoxa, facilmente se persuadirà, el que confessare, como es razon, que lo confiesse, que aquella es la sentencia de Santo Thomàs, que los Padres Dominicos abrazan comunmente; y aquella de Escoto, que siguen comunmente los Fran-

cis-

ciscanos; porque aunque los Padres Jesuitas, y otros digan, que tambien ellos siguen la sentencia del Doctor Angelico, y en conformidad à este dezir, lo expliquen (lo qual es facil) de suerte que lo traygan à sus proprias sentencias; emperò, ninguno que pese las cosas con equidad, se persuadirà, que estos alcanzan la mente verdadera del Santo, mejor que los Padres Dominicos, de quien se deve creer, que por su afecto al Doctor Santo, y à su Religion propria, investiguen su mente con mayor cuydado, y la defiendan con teson mas constante. Y lo mismo se ha de sentir de los Franciscanos, quanto à la mente de Escoto, &c. *Nunquam Scotistæ dixerunt Dominicanos recedere à D. Thoma, nunquam* 122
nostri scripserunt Franciscanos recedere à suo Scoto, quousque schola (*quæ dicitur ibi à Samaniego, libera, & neutralis*) *conata est, se exponere in collationibus Thomistam, ut ostendat nos recedere à D. Thoma.* At operibus credite, *& legite supra dicta, & infra dicenda.*

Vt igitur ex capite libertatis, propositum meum innotescat, legatur 123
Alarcon infra 190. *agens contra Doctorem Eximium, & Ruizium. Legatur, & Aranda, qui disp.* 34. *sect.* 5. §. 2. *ubi titulus paginas discernens sonat* : Prædefinitio Suaristica *num.* 178. *ait* : *P. Suarez explicat esse* decretum ineficax, *ad modum conditionati sic* : Volo concurrere, si voluntas velit; sed displicet alijs, & meritò, primò: quartò, quia ea conditio est ipsemet Dei concursus, atque adeò ridiculè decernitur iste sub illa. *Sic explicationem Suarij, ut* ridiculam *despicit.* Alij (*prosequitur Aranda*) explicant cum P. Molina asserendo esse decretum vagum, sic : Decerno, quod voluntas eliciat, vel actum bonum, vel malum. Displicet multis, & merito, &c. *P. Herice tract.* 3. *disp.* 25. *cap.* 124
9. *num.* 89. *impugnat Suarium. Et loquens de opinione Molinæ* (*quem aliàs Iesuitæ fatentur Ducem*) *circa medium cognoscendi futura, scribit tom.* 1. *tract.* 1. *disp.* 6. *cap.* 2. *num.* 30. Hæc Patris Molinæ sententia, nullum, quem sciam habuit postea sectatorem, vel ex nostris scriptoribus, nisi P. Martinum Becanum. *Sic alij. Ex quo patet, libertas; & P. Henao posse cedere Dominicanis*, in studio, & cura sequendi vestigia S. Thomæ. *Si autem apud nos est servitus cœca, ut dixit Herice, non timemus in foveam cadere, quia D. Thomàs non fuit cœcus.*

Alarcon. Herice.

PVNCTVM IX.

EXAMINATVR AVGVSTINI SENSVS, EX MOdo loquendi Adversariorum. 125

OBIECTIO.

In primis stat contra Prædeterminationes auctoritas Augustini, & Thomæ. De isto, singulari volumine, convincit Henricus Cerf. de illo P. Avendaño. De utroque Doctor Eximius, &c. *Aranda disp.* 11. *n.* 21.

RESPONSIO.

QVia D. Thomas vocatur : Augustinus contractus, *utriusque sensus satis apparet conformis* ; *sed quia puncto antecedenti de D. Thoma* 126

su-

sumus locuti, nunc de Augustino sermonem instituimus, testimonium ab extrinseco petentes, ex modo quo, nobis contrarij, loquntur de Augustino, in rebus de gratia Dei. Sed prius monendus est lector, solemni testimonio D.
S. Bernardus. *Bernardi epist. 7. dicentis*: Ab his ergo duabus columnis (Augustinum loquor, & Ambrosium) crede mihi difficilè avellor; cum his, inquam, me, aut errare, aut sapere fateor. *Qua propter, D. Thom. (de quo dicit Caramuel tom. 1. Theolog. fundam. libro 1. fund. 1. num. 57. quod vix habet articulum* in toto opere, qui Augustini auctoritate careat; *& me-*
127 *rito, cum in sola summa Theologiæ, fere 1500. vicibus citet Augustinum) D. Thomas, inquam, virtutem, & sapientiam singularis modestiæ terminis comprehendens, Vrbano IV. & lectori* opusculorum *in præfatione, exponit*: Si aliqua in dictis antiquorum Doctorum inveniuntur, quæ cum tanta cautela non dicantur, quanta à modernis servatur, non sunt contemnenda, aut abjicienda; sed nec etiam extendere oportet, sed exponere reverenter. *Hoc scripsit, hoc monuit, & hoc fecit; quo circa Card. Aguirre tom. 3. Prolog. 2. ait, de D. Thoma*: Ipse enim mitissimo, ac suavissimo interpretationis genere D. Augustinum exponit.

128 *Infæliciter, ergo, P. Henao, satis extra rem, event. 20. num. 587.*
Henao. *inducit D. Thomam ut malè scribentem de Augustino, in 2. sent. dist. 33. quæst. 2. art. 1. ad 1. & quæst. 5. de malo art. 2. ad 1. ut legenti arti-*
D. Thomas. *culum constabit. In loco enim sentent. vix invenitur verbum, in quo op- ponatur Augustino; & in quæst. de malo, hæc habet*: Nomen tormenti, supplicij, geennæ, & cruciatus, vel si quid simile in dictis sanctorum inveniatur, est largè accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in parvulis, nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi. *Sic exponit Augustinum de geenna parvulorum. Quamvis, ut advertit Cardinalis de Noris liber ille, qui tunc temporis agnoscebatur ut ab Augustino scriptus, sit Fulgentij. V. Card. de Noris in vindicijs Augustin. cap. 5. §. 2. circa D. Bonaventuram, & Cayetanum.*

129 *Contrarium sonat apud Auctores nobis, & Augustino oppositos; &*
Noris. *præter illa testimonia, quibus Molina infra, se prodit Augustino adversantem, notat Card. de Noris, quod in concord. quæst. 19. art. 6. disp. 1. vocat interpretationes Augustini,* primo aspectu peregrinas, & extortas. *Quare, solemne est apud scriptores, impotentes excusare Impugnatores Augustini aliqua in doctoribus extraneis inquirere contra Augustinum, ideoque Card. de Noris, ibidem cap. 5. pag. 159. edit. Salmant. 1698. ait*: Recentiores nonnulli, ne S. Augustini auctoritatem alicubi deserentes, bonorum omnium indignationem subirent, in id consilij descenderunt, ut scriptorum omnium schædas sibi excutiendas esse; & si quid in illis minus honorificè de Augustino assertum sit, in publicum proferendum. *Plures ibi propositiones, adversus Augustinum, convitijs plenas refutat, non audens designare Auctores.*

130 *Sed quia P. Henao event. 9. num. 186. ait,* quod expressissimis verbis

bis Dominicus Bañez 1. *part. quæst.* 23. (*quæ apud Henao mendosè legitur* 22.) *art.* 5. §. de hac quæst. *pag.* 781. non solum Augustinum deserit, sed ex professo impugnat, & quasi in re clarissima ineptitudinem cujusquam consequentiæ non viderit, graviter redarguit. *Lectorem moneo, ut scrutetur verba M. Bañes, qui more Scholastico, ait*: Hæc sententia Augustini non modicam habet difficultatem. Arguitur contra illam. *Et postquam tres sententias quas proponit, probabiles dicit, pag.* 786. *circa finem, ait*: Opere pretium erit, prius quædã advertere, circa sententiam Augustini, quæ omninò cavenda sunt ab eis qui illam volunt defendere. *Deinde exponit quinque vias defendendi sententiam Augustini, & pag.* 789. *sic modestè concludit.* Est denique de hac re nostrum judicium, si quid valet; crediderim enim, quod D. Augustinus tantum fuit sollicitus destruere errorem Pelagianorum. *Considera lector*, gravem redargutionem, quam expressissimis verbis, *P. Henao atribuit Banesio. Legatur Noris in vindicijs August. ubi agit cap.* 5. §. 10. *contra P. Adamum, & Annatum, malè exagerantes ea quæ Bañes dixit. Sic contra meum propositum publicus in Societate lector, meos codices carpens, dixit, quod Bañes* 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *ad objectionem ex Augustino respondet*: Quod D. Augustinus per hyperbolem locutus est. *Cuius falsitatem percipiet, qui legat ibi, pag.* 419. *col.* 1. *lit. D.* ℞. Ad hoc argumentum solent aliqui respondere, quod D. Augustinus in his locis, locutus est per quandam hyperbolem adversus Pelagianos, &c. Alij verò dicunt, &c. Respondeo: D. Augustinum solum voluisse, &c. *Vnde* 1. *solutio, quam ex alijs recitat Bañes, ipsi, à lectore tributa est. Apage.*

131 *Bañes*

132 *Noris*

133 *Vazquez*

P. Vazquez satis acriter loquitur de illo disp. 97. *cap.* 3. *pag.* 469. *col.* 2. *num.* 20. *editionis Lugdunensis* 1619. *dicens*: Fateor sanè suspecta mihi esse testimonia Prosperi, & Fulgentij, quod diligentissimi, & exactissimi Augustini Discipuli sint; & oppositam videantur sequi sententiam. *Et post pauca, ait*: Atque ab Augustino, & alijs, qui id docuerunt petere possumus, undenam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti. *Deinde cap.* 6. *pag.* 472. *col.* 2. *in principio, addit*: Quia tamen, quæ in posteriori classe allata sunt, nullam benignam patiuntur interpretationem, ideo utrobique, ejusdem sententiæ fuisse Augustinum, non dubitarim. *Quid sibi vult ista prolatio, non cohærens his, quæ protulit P. Vazquez tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 89. *cap.* 2. *sic*: Augustinus, ut dixi, in materia de gratia, & prædestinatione, inter cæteros Ecclesiæ Patres, non aliter, quam sol inter sydera minora præfulget. *Lege statim disp.* 83. *cap.* 2. *num.* 12. *editionis Lugdunensis* 1620. *ubi dicit*: Hac ratione tres illæ interpretationes Augustini rejiciuntur. *Et in* 1. 2. *disp.* 193. *cap.* 4. *num.* 39. *ait*: Mihi verò in hac parte, non probatur Doctrina B. Augustini, ut dixi 1. part. disp. 97. cap. 3.

134

135 *Arriaga de Augustino.*

Pater Arriaga ita expressè carpit, Augustinum 1. *part. tom.* 2. *disp.* 28. *sect.* 3. *sub sect.* 1. *num.* 40. *quod P. Macedo tom.* 2. *collat.* 6. *dif.* 2. *sect.* 5. *pag.* 296. *in fine, sic scribat; circa opinionem de opere sex dierum, quæ Augustino tribuitur*: Gravius de ea censent Molina, Cornelius Ala-

pide, Benedictus Pereira. Verum hi sunt excusandi, quod moderatius sentiant, & loquantur. Unus post hos Auctores exortus est iniquissimus Augustino censor, qui acerbissimam ei notam inurit, Arriaga. *Qui loco citato, ait*: Explicatio hæc, salva Sanctissimi Doctoris reverentia, censetur ab omnibus improbabilis; nec ego dubito, quin, si Augustinum non haberet Patronum, manifestè fuisset damnata, ut hære-

136 *D. Thom. de August.* tica. *Quæstio igitur est, utrum sex dies creationis, sint unus dies in re, & sine successione dierum, quam tractat D. Thom. 1. part. quæst. 74. art. 2. & referens opinionem Augustini, & aliorum Doctorum ait in corp.* Sed si duæ istæ opiniones referantur ad modum productionis rerum, non invenitur magna, differentia. *Et concludit*: Ut igitur neutri sententiæ præjudicetur, utriusque rationibus respondendum est. Et ad 5. dicendum, quod secundum Augustinum, ille ordo dierum referendus est ad naturalem ordinem operum, qui diebus attribuitur. *D. Thomas, ut probabilem explicat Augustini sensum, sed Arriaga, omisso D. Thomæ sensu, Augustini opinionem carpit ut damnabilem, cum illam Macedo ibi ostendat probabilissimam ex antiquis Doctoribus, & S. Patribus, ex Suario, Bañez, Granados, Valencia, Tannero, & alijs.*

137 *Annatus.* *Pater Annatus lib. 8. sui Augustini vindicati cap. 4. ait*: Aliquam lucem defuisse Augustino, in concilianda libertate, & efficacia auxi-

138 *Noris.* liorum. *De hoc, & alijs mentionem facit Card. de Noris in vindicijs Augustinianis; ideoque cap. 5. dixit*: Octavus ejusdem voluminis liber (*P. Annati*) totus contra Augustinum est: siquidem postremo illo libro universa in S. Augustinum dicteria, hinc, inde, magna industria, ac labore collecta, producit.

139 *Maldonatus.* *Pater Maldonatus, laudat Augustinum. Ioann. 6. v. 44. num. 68. Lugduni 1607. dicens: Augustinus dixit*: Non traheris, ora, ut traharis. De Prædestinationis causa non disputo. Is Auctor est Augustinus; ut ejus sententia, si vel nulla scriptura, nulla ratione, nullis alijs Auctoribus probaretur, sola Personæ reverentia, satis magnam auctoritatem mæreretur. *Sed nota in consequentiam dicendi num. 70. sic*: Hanc interpretationem multò magis probo, quam illam Augustini.

140 *Adam Gallus* *Pater Adam Gallus, relativè ad Adamum Tannerum, sic describitur à Macedo tom. 1. collat 12. dif. 1. sect. ult. pag. 529.* Quem Adamum (*id est Tannerum*) Deus in Societate forè providit, ut eum alteri Adamo (*id est Gallo*) ejusdem Societatis S. Patri Augustino infestissimo, opponeret, qui allatrare eum solet; ejusque in primis de Prædestinatione, & gratia doctrinam reprehendere, ut apparet in suo libello inscripto Calvinus à seipso eversus part. 3. pene tota; ac in primis cap. 3. pag. 584. ubi improbat nonnullas sententias Augustini, ac inter eas, hanc de Prædestinatione ante prævisa mærita, affirmans, eam esse parum probabilem, & insolentem; idque se dicit facere, ut ansam præcidat omnem Calvinistis. *Hæc Macedo. Legatur etiam P. Adam part. 3. cap 4.*

141 *Huc respexit Macedo, tom. 2. collat. 10. dif. 3. pag. 595. dicens*: Tam ea est Augustini perspicua, & indubitata sententia, ut quidam hujus

hujus ætatis Adversarij Augustini, eam graviter notent, quasi suspectam, ut ei moveant invidiam, quales erant meo tempore, cum Parisijs essem, Stephanus Du-Camps, Adamus, Thomas Augustinus, & Moraines (*seu Martinonus*) qui, inter opiniones quas reprobat in scriptis Augustini, hanc numerat.

Pater Sthephanus de Camps lib. 3. de Hæresi Iansenij cap. 3. disp. 1. ait: S. Augustinum Pelagianismi odio, ita in contrariam partem inclinasse, ut persepè Calvino potius, quam Tridentinis Patribus favere videatur. *P. Andræas Iunius sect. 16. de Prædest. cap. 3. sub finem ait*: Quam vero Augustinus Massiliensibus (*seu Semi-Pelagianis*) ansam præbuerit, reticeo, quia veritas odium parit, & eam pronuntiando Pater Molina, non parùm, sibi conflavit invidiam apud nonnullos, quibus, vel intellectus, vel voluntas non erat, ut oportuerat. *Similiter loquntur de Augustino P. Sirmondus in præfat. lib. sententiam S. Augustini de Prædestinatione, & gratia. Et cap. 8. de hæresi Prædestinatiana. Pater Petavius, menti propriæ repugnans, Dogmat Theolog. lib. 10. cap. 3. n. 2. P. Moraines, seu Martinonus in præfat. Anti-Iansenij & disp. 4. sect. 6. num. 67. & disp. 12. num. 49.* 142 De Camps. 143 Pererius.

Pater Theophilus Raynaudus tom. 11. pag. 146. edit. Lugd. 1665. censuræ in officiosæ censura 21. ait: S. Augustinus in expositione quarundam propositionum ex epist. ad Rom. cap. 62. apertè in ea est sententia. Nec verò eam, vel retractavit, vel mollivit 1. Retract. cap. 23. quo alia quædam ex eo libro recognoscit. At S. Fulgentio familiare est Augustini placitis mordicus adhærere. *Hic notandus est Ioannes Launoius, qui licet non Iesuita, professione, Iesuiticæ se prodit Doctrinæ addictissimum. Hic igitur libellum sparsit, in quo Semi-Pelagianis favens, ait D. Augustinum, Vuiclefo Zuinglio, Lutero, Calvino, & Iansenio præluxisse, & Sanctos Prosperum, Fulgentium, Cæsarium, Prudentium, Hilarium, Remigium, S. Augustini Discipulos à vetusta Sanctorum Patrum tuadditione in materia de Prædestinatione, & gratia desciviße. Quem libellum damnavit Clem. XI. Tanquam impium, blasphemum, &c. die 28. Ianuarij 1704. Qui libellus non nisi post mortem Launoij datus est publicæ luci. Sic etiam anno 1650. Mag. Bartholomeus de los Rios Augustinianus, Primus Castellæ Definitor, & Regius Cancionator, nomine suæ Religionis curavit extingui libellum, in quo recitabantur 22. propositiones Augustini, ut ab Ecclesia Damnatæ; scribens autem suo Generali Philippo Vice-Comiti; mentionem facit de Dominicanis id ipsum satagentibus, sic*: Ordinem S Patris Dominici, imminens quoque incendium excitavit, magnamque in hanc causam, operam conferunt; imò, (ad verecundiam nostram dico) ardentiores nobis sunt. 20. *Iunij 1650. legatur Card. Noris in vindicijs August. cap. 6. ubi prolixè defendit Augustinum, & ejus elogia firmat, contra aliquos ex prædictis Patribus.* 144 Raynaudus. 145 D. Launoius.

PVNCTVM X.

146 *OSTENDITVR NOVITAS SCIENTIÆ MEDIÆ, simulque contra Augustinum, & alios Patres, ex confessione P. Molinæ, & ex impugnatione plurium Doctorum Societatis.*

OBIECTIO.

Molina nullibi dixit, suam de scientia media, & de gratia, ex se non efficaci Doctrinam negari à Sanctis Doctoribus, Augustino, & Thoma, quin potius sæpè affirmat oppositum. *Ita P. Gabriel Henao Event.* 17. *num.* 482.

RESPONSIO.

147 *Iesuitæ de Molina.* F*Avent Professores Iesuitici, huic P. Henao, testimonio, cum Alarcon qui tract.* 2. *de scientia Dei disp.* 4. *cap.* 5. *num.* 20. *ait*: Nonnulli docent nostrum Molinam in Concordia quæst. 23. art. 5. ad 1. Membro ultimo asseruisse, Augustinum non agnovisse scientiam mediam; sed falso id docent, ut patet ex ipso Molina ibi, & sæpissimè utente testimonijs Augustini ad probandum hanc scientiam. Tantum enim docet Molina, non cognovisse hæreticos antiquos, & recentiores hanc scientiam, quam tradidit Augustinus, quam si cognovissent suos errores desererent. *Hæc Alarcon. Et similiter Ortega controv.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 1. *art.* 5. *num.* 8.

148 *Molina de sua opinione.* *Audiatur autem, & relegatur Molina, ut pro se ferat testimonium. Ne autem mihi denegetur fides, signo, & designo tomum P. Molina, apud Antonium Riberium; in quo quæst.*23. *art.* 4. *&* 5. *disp.* 1. *pag.* 487. *linea* 20. *Molina hæc scripsit*: Credens autem Augustinus, cum his, quæ de gratia, adversus hæresim Pelagianam, scripturis, rectissimè docuerat, conjunctum esse, Prædestinationem Dei æternam, non fuisse secundum merita, qualitatemque usus liberi arbitrij à Deo prævisi, sed solum, secundum Dei electionem, & beneplacitum, &c. *Habes, sententiam de Prædestinatione ex meritis prævisis, esse contra Augustinum, teste Molina.*

149 *Molina de Augustino.* Quæ doctrina (*prosequitur hic Auctor*) plurimos ex fidelibus, præsertim ex his, qui in Gallia morabantur, non solum indoctos, sed etiam Doctissimos viros, atque in Episcopali Dignitate constitutos, mirum in modum turbavit; ne dicam, illius occasione salutem eorum fuisse periclitatam; ne enim hujusmodi doctrinæ adhærerent, hæresi potius Pelagianæ, ex parte assentiendum putabant. *Habes, quod, juxta Molinam. illa Augustini doctrina turbavit plurimos, & illis præbuit occasionem præcipitij. At, nos non turbat, sed corroborat; nec occasione illius sumus*

Semi-

Semi-Pelagiani, sed firmi Catholici. Non me latet P. Henao event. 21. *n.* 607. *advertere:* Aliud esse, S. Augustinum rejecisse scientiam mediam, aliud ea non fuisse usum quandoque ad conciliandam nostram libertatem cum Prædestinatione. Primum non asseruisse Molina. *Nobis, sufficit quod asseruerit secundum, ex quo, saltim colligimus, non fuisse usum scientia media, quam cognoscebat utilem, quando, & ubi oportebat illa uti; quod maxima esset insipientia. At Pater Henao, ut alij, loquitur hæc de suo Molina, sed non profert verba, quibus à lectore mens discernatur. Imò ipse ex Angelo Manrique, dicit event.* 3. *num.* 107. *quod Schola Iesuitica, Molinam sequitur, ut, in hac parte,* Ducem sub cujus signis militat.

Audi, quid statim addat Molina: Sententiam verò Augustini secutus est D. Thomas, & post eum plerique Scholasticorum. *Erit hoc testimonium sufficiens, ut Adversarij fateantur Molinam esse contra Augustinum, & Thomam? At lege, ut ego, ibidem pag.* 489. *lin.* 31. Nos, pro nostra tenuitate, rationem totam conciliandi libertatem, cum divina gratia, præscientia, & Prædestinatione, &c. Sequentibus principijs, ex quibus eam deduximus, quæque varijs in locis traddidimus, inniti judicamus. Quæ si data, explanataque semper fuissent, fortè, neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Luterani tam impudenter arbitrij nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes, cum divina gratia, præscientia, & Prædestinatione cohærere non posse; neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent; facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi, & Hilarij fit mentio, fuissent extinctæ. *Siste lector, & considera, quod si ex* opinione Augustini *tot damna sunt secuta, quæ scientia media vitasset, Augustinus non habuit opinionem de scientia media. Deinde: Augustinus non traddit illam rationem conciliandi libertatem cum gratia, quam proponit Molina; & consequẽter non traddit scientiam mediam. In qua stat illa ratio. Nescio, an oportunum sit Bernardi dictum epist.* 77. *ad Hugonem:* Miror admodum, si novus iste, novarum inventor assertionum, & assertor inventionum, invenire potuerit in hoc rationem, quæ Sanctos Patres latuerit, Ambrosium, & Augustinum, seu auctoritatem, eorundem auctoritate potiorem. 150 *D. Thomas cum August.* *Molina de Augustino.* *D. Bernard.*

At fortè reclamat Ortega controv. 2. *disp.* 6. *quæst.* 1. *cert.* 5 *n.* 8. Molinam dixisse solum, non fuisse ab Augustino, omnia ejus scientiæ mediæ fundamenta, & circunstantias explicatas; Fonsecam, & Vazquez solum asseruisse, de nomine scientiæ mediæ inter scientiam simplicis intelligentiæ, & vissionis, agnitum priscis non fuisse. *Legat P. Ortega ibidem pag.* 492. *lin.* 8. *ubi Molina ait:* Quia tamen res est magni momenti, ac valde lubrica, & hæc nostra ratio conciliandi libertatem arbitrij cum Dei Prædestinatione, à nemine, quem viderim, hucusque traddita, ideo, &c. *Quid ad hæc?* Nostra ratio à nemine quem viderim, hucusque traddita *est de nomine, vel de re? Ratio, quam vocat* suam, *& à nemine hucusque tradditam, est nova, vel antiqua? Vel, igitur, Molina* 151 *Ortega de Molina.*

vidit Augustinum, vel non vidit? Si non vidit, quomodo loquitur de sententia Augustini, ut à se examinata, & visa? Si vidit: ergo, cum ipse fateatur, à nemine quem viderit, fuisse tradditam, fatetur non esse tradditam ab Augustino, aut aliis Patribus, quos notat se vidisse, & examinasse.

152 *Legatur etiam tomus P. Molina in 1. part. D. Thom. (editus Lugduni 1593.) quæst. 23. art. 4. disp. 1. membro 6. pag. 330. col. 1. sub lit. C. ubi dicit:* Interim verò dum sub ea quasi caligine D. Augustinus ad hoc non attendit, arbitratus primo aspectu, cum sua de Prædestinatione opinione, &c. *Quod dictum refricat modernus P. Gabriel Daniel in epist. 10. ad nostrum Natalem Alexandrum directa, quasi Augustinum reprehendens, quòd non usus fuerit scientia media. Prosequitur, autem Molina, & loquens de gratuita electione ad gloriam, quam docent Augustinus, & Thomas, ait:* Estò hi duo Patres in eam sententiam inclinassent, salva eorum reverentia quæ illis debetur maxima, quoad illud secundum admittenda non esset; neque enim miror opinionem illam, eo pacto intellectam, à multis duram nimis, indignamque divina clementia judicari. *Et post pauca:* Salva reverentia, quæ D. Thomæ debetur magna, non miror, si communior Scholasticorum sententia (*nota quod vocat illam sententiam communiorem*) præsertim eo modo intellecta, quo verba D. Thomæ, hoc loco ad 3. sonare videntur, à multis dura nimis, indignaque divina bonitate, & clementia judicetur.

153 *Iesuitæ circa Molinam.* *Scio Fasolum 1. part. quæst. 14. art. 13. dub. 17. num. 345. testimonia Molinæ voluisse temperare; & scio Doctissimum Suarium, Societati suæ obsequentem, Prologom. De scientia conditionata dixisse, cap. 1. n. 11.* Nullus potest illam (sententiam) novam vocare, nisi, qui vel antiquos non legerit, vel non intellexerit; *circa quod dicimus, quod P. Fr. Michael à S. Ioseph Ord. S. Trinit. Discalceatorum, in suo studio veritatis, pag. 4. de probabilitate opinionum, festivè, & luculenter pronunciavit:* Y es cosa admirable, que aviendo confessado llanamente los primeros Benignos, que su opinion era contraria à los antiguos Escritores, quieran, los que los han seguido corregir esta confession, y hazer votar por su causa à toda la antiguedad. *Nec hujus dictum, ex partitate solum judices adaptatum; cum enim ipse in præfatione sui libri dixerit:* La Esclarecidissima Compañia de Jesus, cuya doctrina professo, *non dubitavit apertè dicere cap. 6 pag. 129.* El P. Luis de Molina, aquel famoso Colon de la sciencia media. *Quod sanè dictum, Molinam laudat inventorem scientiæ mediæ, ut thesauri antea omnibus Theologis absconditi. At possumus nos loqui cum Card. Baronio tom. 4. pag. 148. de aliquibus dicente:* Primò quidem jactant, quæ proferunt, & quia statim ad novitatem sequitur suspicio, iterum dicunt suam doctrinam esse, antiquorum sententias suscitare.

Michael à S. Ioseph. Trinit.

154 *Lector Iesuita.* *In hoc puncto non omittam, quod lector Iesuita eruditus, adversus me, loca Molinæ aliquando ad codices transcribentem, sic insurrexit:* Demonstro denuò falsitatem. *Sed satis infæliciter, cum non posset Molinæ abradere testimonia. Sed in quo, lector, existimas fuisse illum strepitum demonstra-*

trationis? Quia, scilicet, scribebat ille, Molina edidit concordiam Vlisipone anno 1588. *& ibi quæst.* 14. *art.* 3. *disp.* 50. *pag.* 331. *ait*: Deo autem, à Hieronymo, Augustino, & alijs Patribus tribuitur hæc scientia. *Et subjunxit Recentior, quod id ipsum repetit Molina pag.* 336. *Id ipsum repetit Doct. Collados in* 2. *Codice, in* 3. *folio præfationis. Legi, & miratus sum; Molina enim hæc habet*: Dicendum est; neque etiam in ipsa anima Christi concedendam esse ejusmodi scientiam; ratio est, quoniam non comprehendit divinam essentiam. Deo autem, à Heronymo, Augustino, & alijs Patribus tribuitur hæc scientia, comparatione rerum creatarum, quia Deus est, eaque ratione altissimo quodam modo liberum quodcumque arbitrium creatum comprehendit. *Inquirit P. Molina*, an scientia media sit in Beatis, & in Christo, *ut homine, sicque dat disparitatem animæ Christi, & Dei, cui tribuitur scientia comprehensiva à S. Patribus, & omnibus Theologis, quasi Deo propria prout distinguitur à creaturis conformiter ad illud medium comprehensionis liberi arbitrij, quod schola Iesuitica totis viribus refellit. Qui ergo sunt illi Patres, quibus tribueret Molina sententiam de scientia media in Deo, quam ipse dicit non tradditam ab aliquo, quem, ipse viderit?*

Adjuvet testimonium P. Claudius Typhanius, qui Societatem est ingressus anno 1593. *quo tempore Molinæ Concordia dabatur publicæ luci; & lib. de ordine, deque priori, & posteriori cap.* 24. *ait*: Sententiam negantem scientiam mediam, & antiquitate, & defensorum numero, & auctoritate longè esse meliorem. *Et num.* 4. Nullum alium Theologum ante Molinam, ne per somnium quidem cogitasse; nec ullibi, vel supposuisse, vel adhibuisse, ad ullam sive Scripturæ Sacræ, sive Theologiæ. Scholasticæ difficultatem expediendam. *Et cap.* 26. *post verba Molinæ relata ait*: In qua Molinæ doctrina, multa occurrunt improbanda. *Et cap.* 41. *idem repetit improbans concordiam Molinæ, quæ discordiæ pomum apud Theologos extitit. Ideo fortase P. Henao, agit de illo velut Anonimo, num.* 36. *editione Rhemis* 1640. *cap.* 25. *pag.* 155. *Et dicit Henao*: Audivi nomen proprium hujus Auctoris; *sed illud occultat. Sed non sic; Carolus Mauritius Le-Tellier, Archiepiscopus Rhemensis, qui in suo decreto, à nobis aliquando expresso, & ab illo signato* 15. *Iulij* 1697. *ait quod iste P. Claudius Typhanius, in editione Rhemensi pag.* 204. *hæc habet*: Scientiam mediam rejicimus, non ut erroneam, aut in fide periculosam, sed ut falsam, ut novam, ut nullum solidum in scriptura, in Sanctis Patribus, in S. Thoma, alijsque vetustioribus Theologis fundamentum habentem; ut superfluam ad humanam libertatem tuendam, aliasque difficultates Theologicas expediendas. *A quibus censuris nos omninò recedimus, ne videamur infringere Decreta Pontificia.* 155 *Typhanius de Molina.*

Ioannes Philippeus Rothomagensis Collegij Rector, in coment. ad Osseam cap. 2. *circa v.* 14. 15. 16. *&* 17. §. 11. *ait*: Non inclusi in illis modis gratiæ efficacis, aut statuendæ, aut declarandæ scientiam conditionatam, quam post Molinam Theologi benè multi incluserunt. *Et postea addit*: Tres illi gravissimi Patres, videlicet, Augustinus, Prosper, & Ful- 156 *Philippus de scientia medi*

Fulgentius, qui præ cæteris omnibus doctissimè, & subtilissimè de gratia disputarunt longissimè absfuerunt ab eo gratiæ efficacis sensu, qui per scientiam mediam, & conditionatam, rationem reddit efficacitatis, quæ est in gratia, cum libero arbitrio cohærentis; cum illam scientiam mediam, & futura conditionata prædicti Patres respuerint. *Iste P. ab Alegambe, dicitur* : Vir reconditiore doctrina præditus, & in Sanctorum Patrum, & Conciliorum lectione versatus.

157 *Vazquez.* *Vazquez* 1. *part. disp.* 67. *cap.* 4. *num.*27. *ait*: Quod enim antiqui Scholastici, qui hactenus scripserunt, tantum meminerint simplicis scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, parum interest; quia illi de hac scientia sub conditione, nihil omninò disputarunt, aut meminerunt. *Et ibi ait* ; *quod cognitio qua Deus scit futura conditionata*, potius videtur esse quædam simplex intelligentia, horum futurorum sub conditione. *Imò P. Henao event.* 48. *num.*1293. *fatetur Suarium aliquando reducere scientiam conditionatam ad simplicem intelligentiam*; *& aliquando ad scientiam visionis. Primum docet lib.* 2. *de scientia futurorum cap.* 3. *num.* 5. *Secundum autem Prolog.* 2. *de gratia cap.* 6. *num.* 7. *Legatur testimonium, quod de se profert P. Fonseca supra num.* 105. *Imò P. Albertinus ubi supra ait, nec per rationem distingui in Deo, scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam mediam.*

158 *Macedo narrans.* *Inter tot Doctores Iesuitas legatur Macedo tom:* 1. *collat.* 12. *dif.* 1. *sect.ult. pag.*524. *sub titulo hoc.* Auctoris judicium, *ubi hæc habet* Cum puer essem, & in Societate Jesu, quam vixdum puber sum ingressus inter illos Sanctissimos, & Sapientissimos Patres versarer, & nescio qua propensione naturali, aut impulsione divina ad hujusmodi controversiarum cognitionem incitarer, etiam antequam Theologiæ operam darem, nullam occasionem elabi sinebam de ijs inquirendi, & audiendi. Memini tum (is erat annus 1614.) ventitare in Collegium Conimbricense, in quo eram, Episcopum ejus Civitatis Illustrissimum, & doctissimum virum D. Alphonsum Albicastrium, hominem magno natu, in *Albicastrius.* Sanctis Patribus, ac in primis Augustino versatissimum, & cum præstantissimis, qui tum florebant in eo Collegio, Magistris de his controversijs multum, & acriter disputare. Erat tum in vivis P. Franciscus Suarez summus in omni sacra doctrina vir, recens à Cathedra Primaria publicæ Theologiæ illius clarissimæ Academiæ post annos viginti emeritus Professor, cujus sententiam omnes ferè illi Magistri amplectebantur, nisi quod ad Fonsecam, & Molinam, quorum recens erat memoria, magis inclinabant, quibus cum Episcopus in Aula Domestica palam disputabat. Acritèr, & vehementèr, pro ingenio Episcopi, res inter eos agebatur. Aderant omnes etiam ij, qui Rhetoricæ, ac Philosophiæ studebant, quibus id per Episcopum licebat. Imò, & ille acciri omnes imperabat.

Erat Episcopus in oposita Patribus illis sententia, neque scientiam mediam, neque gratiam congruam ex ea petitam, neque prædestinationem exprevisis meritis probabat; imò ne ferebat quidem, & ab ea

præ-

Præceptores dimovere multis agumentis conabatur. Nec solùm studijs, sed etiam clamoribus res agebatur: erat quippè Alphonsus ardens in disputando, nec sibi facilè moderabatur, disputantes increpabat, & alacriter respondentes cum fastidio, & stomacho refutabat. Memini, cum semel incaluisset, disputandi contentione, prorsus exarsisse,& percutiendo baculo terram, exclamasse. Patres mei: vestra sententia est idonea pro vulgi captu, & ad conciones populares accommodata. Verum illa est omninò à S. Augustini doctrina aliena. Dicam planius, quamquam inelegantius. Vestra inquiebat, sententia est bona pro vulgo, sed est contra Sanctum Augustinum. Commotus ijs vocibus solebam rogare Patres illos venerabiles: An Episcopus verum diceret? At illi negabant, meque de eo dubitantem confirmabant, adjecto: Episcopum illum nimio plus senem esse. Quid ille sentiret, aut diceret, non esse curandum. Acquiescebam tunc illorum auctoritati, & eorundem postea præceptionibus, ac doctrinis imbutus, dum in Societate fui, acquievi. Verum posteaquàm Augustini lectioni me dedi, & in eum altius intravi, & mutato vitæ instituto ad hos, quibus cùm vivo, transivi,& licuit mihi pro meo arbitratu sentire, ac dicere, omninò comperi illum Episcopum vera dixisse, ac ei testimonium meis in libris,quos de Augustiniano sensu,quatuor edidi, idoneum, opinor, reddidi, & liquidò productis, & expensis Augustini locis ab illa de scientia media, & gratiæ congruitate sententia abhorrere monstravi.

Non quod ea sit omnium, uti vulgò existimatur, Auctorum Societatis doctrina, cum Henriquez, Bellarminus, & illi Patres, qui libellum de ratione studiorum Romæ composuerunt sapientissimi Societatis Theologi,& ex parte Gabriel Vazquez,ab illa dissentiant. Sed accidit, ut qui tum Conimbricæ degebant, ac docebant Magistri,Molinæ,& Suarij asseclæ esse mallent: quamquam multo melius de his rebus Suarius, quam Molina senserit, & minus ab Augustino recesserit. *Et statim notat, quod ipse Præsul amplissimam suam Bibliothecam, ipsi Collegio Conimbr. testamento legavit.*

At si nobis objiciatur Molinæ concordiam approbatam fuisse à MM. 159
Ferreyra, & de las Cuevas, Dominicanis. Hoc est futile argumentum, cum **M. Ferreyra.**
pluries Magistri censuram ferant absque doctrinæ scrutinio, illis, per singulas partes, molesto. Quare P. Henricus Henriquez Iesuita in sua censura contra Molinam, ait: Liber de concordia, approbatus solum fuit in forma communi à Fr.Bartholomæo Ferreyra, cui commissum est; & quod ille cursim non advertit, potuit ab alijs maturè librum legentibus animadverti censura dignum. *Idem expressit Balduinus Rithovius Regius Professor Duacensis in publica declamatione anno* 1589.

Pater Henricus Hnriquez, contra Molinæ doctrinam statim insurrexit, & cum esset Salmanticensis Cathedræ Moderator, plures ab ejus sequela cohibuit, ut testatur P. Macedo, & ex parte diximus supra. Cum ergo Inquisitio Generalis Hispaniæ illum elegisset, ut de Molinæ placitis judicium ferret, postquam illa improbavit, singulariter ait: Tertio dicit de

160 **Henricus.**

quadam scientia Dei media; illam ita asserit necessariam: ut multa hinc inferat temeraria, & contra torrentem Theologorum, &c. *De quo mentionem facit, sæpè laudatus Archiepiscopus Rhemensis. Si autem dicatur, quod Henricus transijt ad Prædicatores, respondet Macedo tom. 1. collat. 11. dif. 1. sect. 5. §. 1. hoc modo:* Si quis objiciat, Henriquez, quem constat, relicta Societate ad Prædicatorum ordinem transisse, *(ut tenet Henao, & de quo diximus agentes de Ferdinando Bastida,* quo tempore ibi fuit, eam hausisse doctrinam; sciat is, eum jam antea ea opinione imbutum esse, cum ad eos, doctissimus, & multarum literarum Magister transisset, nec eam à Thomistis accipere potuisse, cum tantum, apud eos, paucos menses, posito ibi Tyrocinio mansisset, & rursùm ad Societatem redijsse, in qua ejusdem perpetuo sententiæ Auctor fuit.

161 **Toletus.** *Cardinalis Toletus in Ioann. 15. (ad illa verba:* Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.) *Annot. 19. plura dicit de gratia præveniente, sic:* Non vos venistis ad me, nec elegistis priores me Magistrum, sed ego vos præveni, & Discipulos elegi prior. *Et annot. 20. cum sibi objecisset illud Deut. 26.* Dominum elegisti hodie, ut sit Deus tuus; *explicat electionem liberam voluntatis, & dicit:* Alia tamen est divina electio nostram præveniens; non enim homo eligeret adhærere Deo, nec Discipuli sequi Christum, nisi Deus, ut id eligerent, prævenisset. *Quæ doctrina est contra opinionem de scientia media, quæ, certè trahit absurda, nobis à contrarijs affixa, ut apparet in subordinatione omnipotentiæ, explicata à P. Aranda lib. 7. disp. 34. sect. 5. §. 2. num. 178. ubi concludit:* **Aranda.** Decreti indifferentis munus est, exercitè attemperare omnipotentiam, & expedire, ad instar cujusdam habitus ad arbitrium creaturæ. Id necesse est fateamur, omnes, qui non prædeterminamus. *Considera, & mirare.*

162 **Petavius.** *Dionysius Petavius lib. 6. cap. 12. Dogmatum Theologicorum, scripsit ut Thomista, & pag. 375. editionis Antuerpiæ 1700. defendit cum Augustino prædestinationem gratuitam, satis prolixè, arguens à ratione Thomistarum, sic:* Id enim finis naturam exigere, prius, ut in eum quisquis agit intentus sit, quam in ea, quæ parandum ad finem adhibentur; atqui sempiterna gloria finis instar habet, quem ad obtinendum bonorum operum mærita referuntur, &c. *Et cap. 13. 14. & 15. Totus est in impugnatione Vazquij, & Lessij, dissolvens utriusque argumenta, quæ nobis objiciuntur.*

163 **Besse.** *Pater Didacus Besse tom. 3. Comment. Moral. in Evangelicam Historiam lib. 15. cap. 2. §. 7. hæc habet:* Laudo Sacrum Prædicatorum Ordinem, qui pro fide stans, ubi Ludovici Molinæ, Societatis Jesu Theologi, concordiam de libero arbitrio suspectam habuit, rem ad fidei Judicem Summum Pontificem detulit; & vel suspecta dogmata asterisco notans, coram tanto Judice alacriter, pro fide certavit. *Apud Graveson tom. 3. epist. pag. 223. Lege apud Auctores, quid senserint PP. Concilij, Card. Madrutius Episcopus Trident. & Armachanus.*

Placet

Placet nunc audire, qualiter alij Iesuitæ de scientia media loquantur. Valentinus Herice 1. part. tract. 1. disp. 7. cap. 1. num. 7. & 8. ait: Primores scientiæ mediæ Patroni è nostra Societate sunt. Hos inter Princeps Pater Molina:: Deinde Petrus à Fonseca; *& de hoc observat*, quod post relata Patrum testimonia pro nostra sententia, satis expressa, in admirationem raptus (*id est Fonseca*) antiquos Theologos, ait, ad hæc non attendisse, & scientiam hanc è tenebris, in quibus tot sæculis jacuit, non eruisse. *Et postea subjungit*: In qua re divinam veneror submissè providentiam, & singulare ipsius beneficium, in nostræ Religionis Magistros collatum agnosco. *Et cap. 10. notat, quod Molina non audebat Typis mandare suam doctrinam. Ecce quomodo Herice fatetur novitatem, ut suis Auctoribus hanc applicet Inventorum gloriam. Et tamen leges infra, ex P. Henao, PP. Concilij Tridentini de gratia, & libero arbitrio locutos fuisse, supposita scientia media. Vide 257.* 164 *Herice.*

Pater Alarcon, similiter tract. 2. de scientia Dei disp. 4. cap. 4. Lugduni 1633. ait, Molinam, ex Augustino accepisse scientiam mediam; & loquens de scientia futuri conditionati, addit: Ut penè miraculo nonnulli tribuant, Auctores nostros omnes, ubique terrarum, nullo Duce, in hanc sententiam conspirasse. *Hæc autem, qualiter cohæreant, discernat lector.* Nullo duce, *omnes Iesuitæ admisserunt scientiam mediam; dum Augustinus profertur* Dux *Molinæ; & Molina* Princeps, *&* Dux *Iesuitarum. Vide, lector, an possis concordare scientiæ mediæ novitatem ad Auctorum gloriam; & illius antiquitatem, ad doctrinæ constantiam.* 165 *Alarcon.*

Nos, certè, fatemur cognitam fuisse ab antiquis Massiliensibus; quare Faustus Rhegiensis Semi-Pelagianus lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 3. dixit: Nisi præscientia exploraverit, Prædestinatio nihil decernit; *in quo stat tota vis scientiæ mediæ, sic, vel sic explicatæ. Illi enim Semi-Pelagiani statuebant discretionem boni, & mali, ex præscientia, & prævisione usus liberi arbitrij, ut fatetur P. Annatus de præscientia conditionata disp. 4. num. 24. Imò P. Suarius tract. de Prædest. cap. 5. num. 5. ait*: Necesse est, quod illa præscientia Semi Pelagianorum conditionata tantum fuerit; quia in illo signo, nondum Deus decreverat, ut talibus hominibus prædicaretur Evangelium, &c. *sed iste Auctor contendit Augustinum Massilienses correxisse, non propter scientiam mediam, sed propter abussum illius.* 166

PVN-

PVNCTVM XI.

167 *OSTENDITVR PRÆDESTINATIONEM GRATuitam esse ex mente D. Thomæ, & Augustini; Scholæ subtilis; imò, & plurium Doctorum Societatis.*

OBIECTIO.

Veniamus ad comparationem utriusque systematis, tum scientiæ mediæ, tum decretorum prædeterminantium, quòd gratuitam Prædestinationem attinet. Jesuitarum, in ea re potiores partes, ac meliorem vestra, causam esse, non pugno. Id unum contendo, nequaquam vos illis superiores, aut meliori jure uti. *Ita P. Gabriel Daniel in epist. 6. ad nostrum Natalem Alexandrum.*

RESPONSIO.

168 *Non opus est, Augustini, congerere testimonia, quæ passim apud Auctores leguntur. Audiatur Ambrosius in Psalm.* 118. *Serm.* 20. *dicens*: Non ergo secundum mærita nostra, sed secundum misericordiam Dei, Cœlestium Decretorum, in homines forma procedit. *Item D. Thom. in Ioan.* 15. *v.* 16. *ad illa verba*: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, *sic scribens*: Alij autem dicunt, quod verum est, quod mærita actu existentia non sunt causa Prædestinationis, sed præexistentia in præscientia Dei, dicentes, quod quia Deus scivit aliquos bonos futuros, & bene usuros gratia, ideo proposuit eis gratiam se daturum; sed si hoc esset, sequeretur, quod ideo elegit nos, quia præscivit nos ipsum electuros, & sic electio nostra prævia esset electioni divinæ, quod est contra sententiam Domini. *Alios Doctores, Augustini doctrinam sectantes, in examen voco. Placet tamen prius ipsius ordinis S. Augustini percurrere documenta, quæ, dum ostendunt vim legis, plurimū afferunt auctoritatis. Acta igitur Capituli Generalis Ordinis S. P. N. Augustini anno* 1679. *definit.* 3. *post commendationem doctrinæ, pro fœliciori progressu studiorum in aliquibus punctis, hæc habent*: Item de nostra gratuita electione, & prædestinatione in Christo etiam ad gloriam, independenter à prævisione nostrorum mæritorum; necnon de gratia per se efficaci, qua Deus operatur in nobis, velle, & perficere. *Similiter Acta Capituli Provincialis, Francopoli in Gallia celebrati, hæc exponunt*: Eisdemque Professoribus inhibemus, ac prohibemus, ne sequantur opinionem Ludovici Molinæ, circa controversias de scientia media, & concordia libertatis cum gratia, utpotè adversantem, sicut ipse Molina testatur, D. Augustini doctrinæ, atque sententiæ. Secus facientes, privamus in perpetuum gradu Doctorum in Provincia nostra privilegiatorum. Datum Francopoli in Comitijs Provincialibus 19. Maij 1677.

Ad-

Adducat nunc P. Aranda Augustinianos in favorem suæ sententiæ, & quia unus, vel alter, præsertim in Aragonia, paucis ab hinc annis, Molinæ sententiæ adhæsit. Sed ostendat nobis Religionem aliquam approbatam, præcipientem in suis statutis scientiæ mediæ defensionem, vel prohibentem doctrinam de gratia per se efficaci. Imò nec in Constitutionibus ipsius Societatis hoc esse, satis est manifestum; cum in libello de ratione studiorum, edito Romæ 1586. *pag.* 36. *oppositum appareat. Pro quo audiendus est Macedo, tom.* 1. *collat.* 12. *dif.* 1. *sect.* 2. *pag.* 506. *qui defendens prædestinationem gratuitam, hæc habet*: Augustinum sequuntur Patres illi Jesuitæ Doctissimi, qui nomine totius Societatis Romæ Congregati, rationem studiorum, id est, lectissimum libellum ex communi sententia instituerunt. In eo quippè continetur Prædestinationis, & Reprobationis Doctrina ab Augustino traddita tanquam in scholis ejusdem Societatis traddenda his verbis: Proponitur, & eligitur definienda, & traddenda universæ scholæ Societatis, hæc propositio: *Non solum* ex parte nostra nulla fuit ratio, seu conditio Prædestinationis, sed neque absolutè dicendum est, esse in nostra potestate, ut prædestinemur. *Vide lector, quomodo huic positioni cohæreat propositio hæc, exposita ut conclusio generalis*: Nullus est hominum, tàm ex Reprobis, quàm ex Prædestinatis, qui non habeat in manu, esse prædestinatum, etiam prædestinatione formali, *quam habet P. Aranda lib.* 8. *disp.* 44. *sect.* 2. *num.* 233. *juxta ab ipso dicta disp.* 40. *sect.* 3. *num.* 27. 169

At percurramus librum illum de ratione studiorum, loco citato; & hæc legemus: Hanc Augustini doctrinam non modò communiter Theologorum Schola jam recipit, sed & Ecclesiæ Patres, per mille, & ducentos circiter annos. *Et hoc non obstanti, nuper, sub nomine Theologorum Duacensium fuit adaptata censura, Molinæ principijs innixa; sed Facultas Lovaniensis die* 23. *Iunij anni* 1723. *illi contradicens, tale exhibuit Decretum*: Sacra facultas Theologica Lovaniensis, tenore præsentium urbi, & orbi palam testatur, & fidem facit, quod ipsa semper inhæserit, & Deo juvante, semper inhærebit sententiæ de Prædestinatione, & de gratia per se efficaci, &c. *Signatum erat sic*: Franciscus Bandevelde S. Facultatis Bedellus, & Notarius. *Quare Ferdinandus Vallosillus, apud Noris cap.* 5. §. 7. *Docens prædestinationem gratuitam, ut ex mente Augustini, dixit*: Opinio contraria non est probabilis, licet non hæretica, & nullus eam deberet asserere in Scholis, neque alibi. 170 Vallosillus.

Antiquorum autem Scholasticorum, aliqua oportet placita inquirere; inter quos legendus venit Mag. Sententiarum in 1. *dist.* 41. §. 2. *sic scribens*: Opinati sunt tamen quidam Deum ideo elegisse Jacob, quia talem futurum præscivit, qui in eum crederet, & ei serviret, quod, aliquando Augustinus se sensisse dicit in lib. 1. Retract. cap. 23. ubi apertè ostendit, quod si propter futura mærita electus esset, jam non ex gratia esset electio. *Non ergo ideo electus est à Deo, quia talis futurus erat, sed ex* tali electione talis est factus. *Nihil clarius pro Augustino, quem solent Adversarij trahere in suas partes, ex vi testimoniorum, quæ* 171

O aper-

Tostatus. *apertè retractavit. Alfonsus Tostatus* (*teste Macedo in suo Concentu Euchologico pag.* 431.) quamquam minutis quibusdam in quæstionibus ab Augustino interdum dissentiat, in materia dePrædestinatione,& gratia, Augustino penitus consentit.

172 *Scotus.* *Carthus.* *Durandus.* *Scotus, Doctor Subtilis, quem in hoc puncto tota ejus Schola sequitur, idem habet in* 1. *dist.*41. *quæst. unic. à num.* 11. *& in Reportatis. Ibidem. D. Albertus Mag. S. Antoninus, Dionis. Carthusianus,& alij citati à Macedo tom.* 1. *collat.* 11. *dif.* 4. *sect.* 3. *similiter Durandus in* 1. *dist.* 41. *quæst.* 2. *prope finem ait* : Alij dicunt, quod opera sequentia sunt causa Prædestinationis; unde, Deus tribuit uni gratiam, & alij non, quia scit eum benè usurum, alium autem non. Sicut Dux dat equm Militi, quem scit benè usurum equo. Sed istud est rudius dictum. *At pro omnibus Doctoribus legatur Belarminus tom.* 4. *controv. lib.* 2. *cap.* 11. *pag.* 457. *lit. B. ubi docens Prædestinationem gratuitam, dicit* : Secundo loco probari potest veritas Prædestinationis gratuitæ ex tradditione Ecclesiastica,&c. *Et adducens pro se S. Patres, D. Thomam, & Bonaventuram, subjungit* : Neque solum Sancti isti Patres hoc affirmant, sed antiquiores, & doctiores ex ipsis, quos cæteri postea secuti sunt, ad fidem Catholicam hanc sententiam pertinere traddunt, & contrariam ad Pelagianos rejiciunt. Notabo aliqua loca; ut si qui fortè contra sentiunt, intelligant ex judicio Sanctissimorum Patrum, in quàm manifesto errore versentur. *Cui Doctori adjungitur alter Doctissimus Cardinalis Societatis Iesu, scilicet Toletus, juxta jam dicta ex ipso.*

Belarminus.

Similiter lib. 2. *de gratia, & libero arbitrio cap.* 9. *lit. B. ait*: Prædestinationis divinæ nulla ratio ex parte nostri assignari potest, &c. Diximus autem nullam rationem assignari posse, ut excludamus non solum mærita propriè dicta; sed etiam bonum usum liberi arbitrij, aut gratiæ, aut utriusque simul à Deo prævissum, etiamsi non dicatur esse mæritum nisi de congruo, & etiam si non dicatur vera causa, sed tantum conditio, sine qua non prædestinaretur, is qui prædestinatur. *Et cap.* 11. *prosequitur jam dicta. At, non miretur lector, quod Belarminus, videns Societatem Molinæ opinionibus implicatam, Præposito Generali Officiosus, in se susceperit defensionis partes, contra propriam mentem; ex vi voti simplicis, quo Iesuitæ promittunt audire Consilium P. Generalis Societatis, si contingat promoveri ad dignitates, ut patet ex Constit. part.* 10. *pag.* 308. *edit. Romæ* 1583.

Card. Perronius. *Card. Perronius, à contrarijs sæpè laudatus, lib.* 1. *resp. ad Regem Galliæ cap.* 12. *ait* : Augustinus Maximus post Apostolos Prædestinationis Doctor, imò os, & lingua veteris Ecclesiæ, quantum ad illam de gratia doctrinam. *Vid. Noris cap.* 5. §. 3.

173 *Henricus Henriquez in lib. de fine hominis cap.* 12. *ait*: Satis videtur si sententia affirmans electionem ad gloriam factam esse ex prævissis electorum meritis, damnetur nota temeritatis, ex Doctoribus Scholasticis supra citatis, esseque planè contra Augustinum constat. Quem Augustinum PP. in Concilijs, & major, meliorque pars Theo-

lo-

logorum antiquorum, & Torrens Recentiorum Sapientum sequitur in omni ferè Academia Orbis Christiani. Quidam doctus (*tacet Lesij nomen*) prædicavit in Academia Lovaniensi oppositum cum magno scandalo Academiæ, & re ad Sixtum V. delata, sustinuit suæ temeritatis acrem reprehensionem. *Benedictus Pererius Coment. in Danielem editis Romæ* 1587. *lib.* 3 *cap.* 3. *loquens de electione Iacob, & reprobatione Esau. ait* : Mirabilius id accidit, quod illam distinctionem electionis, & reprobationis, non ex prævisis bonis, malisve hominum factis, sed ex sola Dei voluntate primum profectam esse. *Nota lector annum editionis.* 174

Pater Mariana lib. 3. *de morte, & immortalitate cap.* 6. *ait* : Augustinus argumentis victus novam Prædestinationis formam invexit post lapsum hominis, non fluxam quoad eventum, & inconstantem, quippè ex libero arbitrio, sed ex gratia certam, atque ex vocantis voluntate. *Adde his Iacobum Granados; & illos omnes, quos pro Prædeterminatione supra, & contra scientiam mediam, infra, citantur.* 175

Pater Salmeron disp. 21. *in cap.* 8. *ad Rom. quasi præsentiens Molinæ doctrinam illam impugnat; & sic concludit*: Infertur ergo, Prædestinationis certitudinem non ab operum bonorum præscientia, sed à benigna Dei Providentia proficisci. Nec ideo, quia quis præscitur salvandus, &c. *Et statim* : Si prædestinatio ex meritis proficiscitur, jam non prædestinatio, sed post destinatio dicenda esset. *Et cum sumat rationem D. Thomæ circa discretionem prædestinati à non prædestinato, concludit* : Nec enim præviderì potest bonus usus gratiæ futurus, si in potestate ejus fuerit etiam malè uti, &c. *Et antea pag.* 770. *dixerat*: Tertius erat modus dicendi, quod à prævisione meritorum penderet prædestinatio, qui quidem falsus est, & ut Pelagianum dogma ab Augustino confutatus. Salmeroni

Suarius ipsam tenuit sententiam, teste Becano tom. 1. *Theol. Schol. Lugduni* 1617. *cap.* 16. *pag.* 316. *dicente*: Belarminus, vero, & Franciscus Suarez, posteriori modo, (*id est secundam sententiam defendentem Prædestinationem ante prævisa merita*) ex sola Dei misericordia. *Legatur Suarius tom opusc. lib.* 3. *de auxilijs divinæ gratiæ cap.* 16. *edit. Matriti* 1599. *num.* 11. *pag.* 239. *Vbi defendit prædestinationem gratuitam, ut Augustini sententiam, & subjungit* : Sed quia responderi solet Augustinum in illis locis non loqui de electione ad gloriam, sed ad gratiam, & præcipuè, ad primam vocationem congruam; contra hoc, ponderandus est locus Augustini lib. de correct. & gratia cap. 7. *Et prosequitur impugnans solutiones contrariorum. Ideò citatur à Macedo tom.* 1. *collat.* 11. *dis.* 4. *sect.* 3. 176 Suarius

PVN-

PVNCTVM XII.

177 *OSTENDITVR DOCTRINAM DE SCIENTIA media esse contra mentem SS. Patrum, præsertim Augustini, & Thomæ, & antiquorum Scholasticorum, etiam Iesuitarum.*

OBIECTIO.

Primò Augustinus stat pro scientia media: : : Doctor Angelicus noster est::: 1. part. quæst. 23. art. 5. ad 1::: quæst. 6. de verit. art. 2. ubi ex D. Ambrosio, cui subscribit, nostram doctrinam apertè tenet; *Ita Aranda disp. 26. sect. 1. à num.* 118.

RESPONSIO.

178 QUia *Patrum testimonia sæpè in Codicibus Scholæ inculcantur, unum vel alterum proferam; & ut singulare placet exponere testimonium S. Methodij Doctoris Græci, qui in Serm. de S. Agatha, Leonardo interprete, hæc dixit*: Agatha, quæ signum erexit, quid de se decretum fuerat, ut fieret, atque in lucem edita, quod per gratiam decretum erat peregit: : At enim Deo singuli manifesti sunt, ut loquitur Sacra Scriptura; verum omnia prædefinita sunt à cognoscente. Ipsa enim præcognitio importat Procreatoris Dei circa res singulas cognitionem, quod quidem, & rationem habet divini consilij, & concursus, & prætereà modum liberæ voluntatis eorum, qui divino solum beneplacito procreati liberè in opus prodeunt. *Perpende* quòd per gratiam decretum erat; *& simul arbitrij libertatem. Et quia P. Aranda D. Thom. cum Ambrosio, scribentem inducit, legatur D. Ambrosius, Comment. in Lucæ 4. lib. 4. dicens*: Quomodo igitur hos laqueos evitabimus; ut possimus, & nos dicere: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus? non dicit: ego contrivi laqueum; non ausus est hoc dicere David, sed: adjutorium nostrum in nomine Domini; ut ostenderet unde laqueus solveretur. *Accomodet lector hanc doctrinam, vincendi tentationes, scientiæ mediæ, juxta quam illud adjutorium est versatile, & ad nutum creaturæ.*

179 *S. Augustinus lib. 5. de Civitate Dei cap. 10. plura dicit contra scientiam mediam, quæ apud Auctores potest lector discernere. Et lib. 2. ad Bonifatium cap. 1. de Pelagianis objicientibus hæresim Manichæorum negantium libertatem oportune dicit*: Nihil aliud nitentes, nisi, ut, horribili hæresi objecta, cujus se Adversarios confingunt, lateant inimici gratiæ, in laude naturæ. *Lege D. Thomam, 1. part. quæst. 23. art. 5. in corp. ubi referens opiniones ait*: Fuerunt alij, qui dixerunt: : quòd ideo Deus det gratiam alicui, & præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum benè usurum gratia, sicut si Rex det alicui Militi equum, quem scit

eum benè usurum. *Hæc est doctrina de scientia media exploratrice boni usus liberi arbitrij, quam impugnat D. Thomas, in corp. art. ubi concludit bonum usum liberi arbitrij* ex divina voluntate, ad quam totus effectus Prædestinationis ordinatur, ut in finem, & ex qua procedit, sicut ex principio primò movente. *Similiter quæst. 6 de veritate art. 3. ad 4. Vbi sibi objicit argumentum, quo utuntur Adversarij, & respondet apertè contra scientiam mediam. Ideoque Macedo, contra illam, hoc D. Thomæ utitur testimonio tom. 1. collat. 11. dif. 1. sect. 5. pag. 404. in fine.*

Mag. Sent. in 1. dist. 38. §. 3. Fundamentum contrariorum evertit, dicens: Neque etiam res futuræ causa sunt Dei præscientiæ. Licet enim non essent futuræ, nisi præscirentur à Deo, non tamen ideo præsciuntur, quia futuræ sunt; si enim hoc esset, (*notate rationem à Thomistis, & Scotistis ponderatam*) tunc, ejus quod æternum est aliquid existeret causa ab eo alienum, ab eo diversum, & ex creaturis penderet scientia creatoris, & creatum causa esset increati. *At fortè reclamabit Henao event. 43. num. 915. pro se citans Mag. in 1. dist. 43. ubi incidenter loquitur de præscientia, & ait*: Hæc autem quæstio de præscientia facile determinari potest per ea quæ superius dicta sunt, cum de præscientia ageretur. *Scilicet, dist. 38. & 39. sed frequens est apud plures Adversarios aliqua verba incidentur dicta excerpere, & locum ubi ex professo res disputatur, non percurrere. Lege in 2. dist. 23. ubi etiam citatur ab Henao, & invenies, arguere ex mente Augustini, quam, ut apertam pro nobis supra notavimus. Alex. Alensis, quæst. 23. de scientia Dei art. 4. nostram doctrinam roborat, sicut & Bachonus in 1. dist. 17. quæst. unica art. 5. ut potest lector discernere, quamvis aliter intelligatur ab Henao event. 37. num. 830.* 180 *Mag. Sent.* *Alex.* *Bachonus.*

Scotus, dissertis verbis impugnat fundamenta scientiæ mediæ; & in 1. dist. 39. quæst. 1. §. Viso de contingentia, *loquens de signo ante Decretum ait*: Tunc autem non sunt vera contingentia, quia nihil est tunc (*id est ante Decretum*) per quod habeant veritatem determinatam. Posita autem determinatione voluntatis divinæ, jam sunt vera. *Quare Macedo hic dif 1. sect. 5. §. 2. Laudat nostrum Alvarez, eo quod benè utitur testimonio Scoti contra scientiam mediam. Scotus item discernens duos æquales in naturalibus, & inæquales in usu liberi arbitrij, in 1. dist. 41. quæst. unica, ait*: Non est hujus, ut videtur, assignare rationem, nisi voluntatem divinam. *Pro quo legatur Macedo ibidem, & modernus Scotista Heno hic disp. 5. quæst. 4. conclus. 4. & 5. & quæst. 7. art. 3. Vbi agens de Auctoribus contra scientiam mediam, dicit*: Ita communiter Thomistæ, & Scotistæ fideliores. *Legatur Macedo ibidem. Ideo P. Valencia, statim citandus pag. 239. lit. C. cum Scoto docet, Deum cognoscere futura contingentia in determinatione suæ voluntatis, & addit*: Hac enim re, idem videtur, atque Deum cognoscere certò futura contingentia, ex hoc quod videt suam voluntatem determinatam jam esse proximè ad illa; neque eam ab ulla alia causa impediri posse. 181 *Scotus.*

Non desunt Theologi Iesuitæ, qui non agnoscunt scientiam mediam; & 182

P *præ-*

præter illos jam supra memoratos, legendus venit Benedictus Pererius, quam P. Henao, ex Serlogo, & alijs, vocat Patronum scientiæ mediæ, event. 5. num. 159. sed quam immeritò videbit lector, si locum ab ipso citatum discernat, scilicet, lib. 16. in Genesim cap. 11. disp. 7. num. 95. ubi nec verbum habet scientiam mediam redolens, sed dicit: Deus enim propter infinitam intellectus sui perspicacitatem, non solum, quæ simpliciter aliquando futura sunt cognoscit, sed etiam conditionaliter futura, id est, quæ hac vel illa circunstantia, & conditione posita essent futura. *Et statim affert plura exempla, inter quæ, illud recantatum tyriorum, & sidoniorum. Hoc omnes fatemur. Sed non dixit Pererius illa conditionata à Deo cognosci per scientiam mediam. Vide dicta ex Philippeo suprà.*

183 *Valencia.* *Nobile testimonium habemus in P. Valencia, qui, ut acerrimus defensor scientiæ mediæ, à contrarijs proclamatur, eò quia coram Clem. VIII. vices totius Societatis egit. Non diffiteor; nec ignoro, quod P. Valencia ingenuè dixit, se illam propugnare non ex mente propria, sed juxta opinionem probabilem, & tolerandam. Credis hoc? Veni, & vide. Percurre, semel, & iterum totam quæst. 14. ex 1. part. D. Thomæ, in qua à contrarijs, & novissimè à P. Marin citatur pro scientia media, & nec mentionem talis scientiæ, in ejus scriptis percipies. Legi enim ego bis totam illam quæstionem, & ex illo hæc depromo. In primis P. Valencia non agnoscit in Deo, nisi scientiam liberam, & necessariam. Deinde puncto 5. §. 2. pag. 237. in fine, postquam probavit Deum cognoscere certò,* quid, quibusdam positis futurum sit, etiam si absolutè non sit futurum, *ait:* Tria tamen sunt hic observanda. Primum est, hanc scientiam, quam quibusdam positis, dicimus Deum habere de futuris eventibus, etiam ut non existunt in aliqua differentia temporis; non esse nominandam scientiam vissionis, sed scientiam simplicis intelligentiæ, sicut vocatur illa quam habet de non entibus, ut videbimus puncto 7. *In quo agit de cognitione purè possibilium. Vide quomodo divisionem scientiæ, in visionis, & simplicis intelligentiæ dicit adæquatam, & non recurrit ad scientiam mediam. Lege punctum 8. pag. 265. lit. D. Ingolstadij 1592. ubi agit de scientia visionis, & simplicis intelligentiæ, aliam scientiam non agnoscens. Vide dicta ex ipso, & his adjunge, quotquot in favorem Prædestinationis, & gratiæ efficacis supra adduximus, & rursus adducemus.*

184 *Objectio ex August.* *At objiciunt Iesuitæ, locum Augustini, de quo mentionem facit Hilarius in epist. ad Augustinum, loquens sic de Massiliensibus:* Dicunt, id præscientiæ esse divinæ, ut eo tempore, & ibi, & illis veritas annunciaretur, vel annuntietur, quando, & ubi prænoscebatur ea esse credenda. *Sed vide, quomodo Augustinus respondet Hilario, & Prospero lib. de Prædest. Sanct. cap. 3. ingenuè excusans incogitantiam in illis scriptis, quæ correxit. Et cap. 9. advertit, se illa scripsisse :* Sine præjudicio latentis consilij Dei, *& declarat mentem suam sic:* Proinde, quod dixi: tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari Doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri, (*Nota quod hac auctoritate se muniunt contrarij:::*) visum mihi est,

quod

quod tunc ſatis erat breviter eſſe dicendum, excepta, ut dixi, altitudine ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & ſine præjudicio aliarum cauſarum, de quibus non tunc, ſed aliàs oportunius diſputandum putavi. *Satis hoc erat ad refutandam objectionem, ſed lege cap.* 10. *ubi Aug. ait*: Quod dixi eodem loco, quæſt. 2. contra Porphyrium, ſalutem Religionis hujus nulli unquam defuiſſe, qui dignus fuit; & dignum non fuiſſe, cui defuit, non deſunt, qui dicant, voluntate humana; nos autem dicimus gratia, vel prædeſtinatione divina. *Sic nos dicimus cum Auguſtino diſcretionem boni uſus, non eſſe ex libero arbitrio, ſed ex gratia Dei.*

Rurſus Adverſarij ex lib. 1. *ad ſimplician. quæſt.* 2. *tom.* 4. *inter opera Auguſtini, ut ſuadeant gratiam congruam, hæc tranſcribunt*: Etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur. Falſum eſt autem ſi quis dicit: Igitur non miſerentis Dei; ſed volentis, atque currentis eſt hominis, quia nullius Deus fruſtra miſeretur. Cujus autem miſeretur ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere. *Ex hoc teſtimonio deducunt gratiam congruam à Suario inductam. Fatetur P. Macedo collat.* 11. *ſect.* 11. *quod ſuſcepto ſtudio legit hunc locum Auguſtini; & dicit, quod Auguſtinus movet quæſtionem de diſcretionie electionis, & libero arbitrio, & agit prius in favorem libertatis, diſputando, uſque ad illa verba*: Sed quid hoc quærimus. *A quo loco incipit auferre omne genus mæriti præviſi ad electionem, & recurrit ad inſcrutabilia judicia Dei, ſic concludens*: Credamus tantum, & ſi capere non valemus. *Patet hoc ex ipſo Auguſtino primũ dicente ibi*, In cujus quæſtionis ſolutione laboratum eſt quippè pro libero arbitrio, voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia. *Vid. Macedo ibi prolixè hoc diſcernens; At contrarij, hoc non diſcernentes, argumenta quæ Auguſtinus ſibi objecit, tanquam Auguſtini ſunt ſecuti ſententiam; qualiter contigit lectori, qui non evoluerat ſummam D. Thomæ, & illam primò percurrens, argumenta prius propoſita, accipiebat ut rationem probativam concluſionis.* 185

Corroboret Auguſtini ſententiam filius ejus Doctiſſimus Ægidius Romanus, D. Thomæ auditor, qui etiam à contrarijs in ſui favorem citatur. Ille, ergo, in 2. *diſt.* 26. *art.* 3. *agens de gratia operante, & cooperante ait: Trænorum ultimo dicitur*: Converte nos Domine ad te, & convertemur. Prius ergo nos Deus convertit ad ſe, & poſtea nos convertimus ad ipſum. *Et ſubjungit*, Secundum hunc modum prioritas boni operis, propter principalitatem attribuetur Deo, poſterioritas verò, quod eſt agere inſtrumentaliter potuit attribui nobis, quia Coadjutores ejus ſumus, & inſtrumenta ejus in agendo. *Et diſt.* 26. tertio quæritur. *Diſtinguit impetus naturales, & gratuitos, & dicit*: In juſtificatione impij prius ſunt impetus, & motus divini, quos plenè ſequendo convertitur impius: : Impetus ergo iſti divini ſunt ſecundum quendam motum:: & *poſtea*: Eſt enim bona voluntas, quaſi pediſſequa gratiæ, ut ſequatur eam, & non præferatur ei. *Demum, argumentum à contrarijs millies recantatum circa tyrios proponitur, & ſolvitur, quoad ſuam vim, à D. Thoma* 3. *contra Gentes cap.* 158. *& quia Adverſariorum* 186 Ægidius.

ob-

P. Martinonus, *objectio, à nobis retorquetur contra scientiam mediam, optimè dixit Pater Martinonus (aliàs Antonius Moraines) in suo Anti-Iansenio disp. 27. sect. 3. n. 28. omnes instantias factas contra Prædeterminationem in hac parte, posse retorqueri contra scientiam mediam, & gratiam congruam.*

PVNCTVM XIII.

187 *DECRETVM SVBIECTIVE ABSOLVTVM, ET objectivè conditionatum examinatur.*

OBIECTIO.

Tale Decretum Zumel, & Mendoza, fictitium, & ridiculum. Ledesma Dominicanus, falsum, & improbabile, Cabrera firivolum, & imperfectissimum, Muñoz Tyranicum, &c. Aranda disp. 25. sect. 1. n. 77. Hæc decreta nostra Societas pleno ore vocavit stulta inutilia, inepta, imposibilia, & non solum Deo indigna, sed quæ mediocriter prudenti viro, non possint adscribi. *Ita Alarcon tract. 2. de scientia Dei, disp. 4. cap. 6. num. 7. & 8.*

RESPONSIO.

188 *PRo his Decretis, ità adjectivè, ab Aranda, & Alarcon expressis, lectori comittimus discussionem Auctorum, quorum judicia, sine locorum examine indicantur. Apparebit autem ex statim dicendis, illa Decreta, quæ tot Censuris improbantur, non modò à Thomistis, verum, & Scotistis, imò, & pluribus Iesuitis, Auctoribus primæ classis, fuisse admissa, & approbata. At circa hoc punctum, frequens in Scholis Adversariorum propositum est, antiquos Thomistas ostendere, non cognoscentes in Deo scientiam conditionatam, illi tribuentes imperfectam, & conjecturalem cognitionem futurorum sub conditione contingentium. Ita Ripalda, Paulus Leonardus, Henao, Annatus, Ortega, & alij quos novissimè refricat P. Marin tract. 1. disp. 10. sect. 1. num. 3. fortasè, quia nec verba, nec modum loquendi Auctorum sunt scrutati. Vnus, ex famosis Thomistis, quibus illa cognitio imperfecta tribuitur, est Doctissimus Mag. Cabrera, Ord. S. Hieronymi 3. part. quæst. 1. art. 3. disp. 1. §. 2. num. 367. & 368. sed legatur num. 382. ubi suam explicat mentem, sic:* Futura conditionata, quæ aliquomodo, non tamen infallibiliter connectuntur cum conditione posita, ex vi illius conditionis, & connexionis (*attende*) cognoscuntur à Deo probabiliter tantum, secundum efficatiam, & inclinationem conditionis positæ::: Dixi, ex vi talium dispositionum, nam eadem futura conditionata posset certò cognoscere, ex vi aliarum conditionum ad quas infallibiliter sequerentur, scilicet, ex vi auxilij efficacis, & prædetermina-

Cabrera.

nationis. *Hæc Cabrera proquo P. Henao event. 1. n. 30. loquens de Felice Scotista, qui sic Dominicanos explicat, ait:* Sed certè nobis abundè est, id quod ultrò concedis de cognitione divina conjecturali objectivè seu ex parte objecti cogniti. *Ideoque num. 40. accumulat censuras Auctorum adversus negantes Deo infallibilem cognitionem conditionatorum, absolutè, ut eas aplicet illam negantibus ex parte objecti conditionali sub connexione non infallibili.*

Quis posset, ita sensus Auctorum confundere? Audiat Henao, & si legit, intelligat. Cabrera dixit, quod omnes Theologi velint, nolint, debent asserere, scilicet, quod Deus infallibiliter cognoscit futura conditionata dependentia à causa libera, infallibiliter, inquam, subjectivè, ex parte cognitionis, & medij; sed tamen solum probabiliter ex parte objecti, hoc est cognoscit conditionem solùm probabiliter connexam cum existentia conditionati, & existentiam conditionati, solùm esse probabiliter ex vi conditionis. Celebre est in hoc puncto exemplum. Deus enim infallibiliter cognovit futuram conversionem tyriorum sub conditione prædicationis Christi, & cognovit sic pœnitentiam infallibiliter futuram, sed non futuram infallibiliter ex vi prædicationis Christi, sed ex vi decreti de conversione illorum, posita conditione prædicationis. De quo legantur nostri Thomistæ; & pro illis scribit P. Macedo Scotista tom. 1. collat. 12. dif. 1. pag. 527. sic: Quod attinet ad id, quod Patres Jesuitæ spargere solent, se primos fuisse Auctores hujus scientiæ mediæ, & conditionatæ, & suis, se exemplis effecisse, ut Thomistæ, & alij eam agnoscerent, & admitterent in Scholas, quod non obscurè, & cum aculeo significat P. Alarcon tract. 2. de scientia Dei disp. 4. cap. 4. dico: Ante Societatem, eam scientiam conditionatam, & mediam fuisse cognitam, &c. *Quod statim probat ex Abul & Nicol. de Lyra; non tamen admissam, qualiter à Schola Societatis defenditur, de quo statim agemus. Sicut de Cabrera, ita de Araujo loquitur Henao, ex 1. part. quæst. 14. art. 13. dub. 1. pag. 380. sed legens quod Araujo ibi dicit, deceptum esse P. Henao, statim inveniet.* 189

Cognitio futurorum.

Macedo.

190 *Quid autem de Decreto subjectivè absoluto, & objectivè conditionato? Legatur Alarcon in edit. Lugdunensi 1633. loco in titulo citato, ubi hæc scribit:* In qua mole evertenda (*scilicet illa Doctrina Thomistarum*) totus fuit nostræ Socitatis labor, & cura, licet Suarez, & alij Doctores parum fœliciter id consecuti fuerint, quia saltim nonnihil spatij dederunt hostibus, in quo liberè possint aggerare tormenta, quibus nostræ Doctrinæ virtutem quatiant argumentis. Imò, quasi à nostris etiam civibus per fraudem aperta sunt mænia, ut hostes uno impetu valeant irrumpere. Quia Suarez, & aliqui nostri Doctores nonnunquam dederunt Deo hujusmodi Decreta conditionata, non prædeterminantia voluntatem antecedenter ad consensum, sed, saltim, per modum intentionis prædefinientia liberos voluntatis actus. Quæ certè, qui è nostris concedunt, non manus cum Adversarijs conserere arbitror, sed potius, consuere, & in unam, eandemque prorsùs Doctrinam conspirare; solumque ab illis in modo loquendi dissociari. Cujus criminis reum, in

Alarcon contra Suarium.

Q pri-

primis postulo Ruizium disp. 71. sect. 8. asserentem, Deum multa futura conditionata, quæ nunquam erunt, cognoscere, non per scientiam mediam, sed per scientiam simpliciter liberam vissionis, quia illa cognoscit in Decreto absoluto ex parte actus liberè existente in Deo, conditionato tamen ex parte objecti, eodem ferè modo *quo Alvarez hanc scientiam Deo concedit, excepta prædeterminatione physica, licet addat Ruiz, præter hanc scientiam Dei in Decreto, esse aliam ipsi concedendam, qua illa futura in seipsis cognoscantur.*

191 Sed certè (*prosequitur Alarcon*) cum concedat illam priorem scientiam esse infallibilem, illa sola sufficiet ad explicandos Patres, & Scripturam, ac proinde frustraneus erit totus nostræ Societatis labor in adstruenda scientia media, quæ ingenti labore bonis avibus est asserta. *Et postquam Vazquium laudat, hæc dicit*: Illud tamen pro nostræ Societatis Doctoribus moneo; in disputationibus coram Sacris Pontificibus habitis à nostris, & Dominicanis Patribus, circa hujusmodi scientiam mediam, constantissimè à nostra Societate exterminata fuisse à divina mente hujusmodi decreta actu conditionata circa res futuras omnes, quarum conditiones ex divino, & absoluto Decreto, nunquam in rerum natura aparte rei sunt producendæ. *Imò, &c. ut suprà in titulo. Scire vis quid dicat Ruiz de Montoya accusatus à P. Alarcon? Lege loco citato, num. 1. ubi sic scribit*: Dico primò: quædam actiones ut conditionaliter futuræ præsciuntur in Libero Decreto Dei, quod est mixtè conditionatum. Probatur, quia licet Deus aliunde non præsciret in seipsis conditionaliter futura, nihilominus solum Decretum mixtè conditionatum sufficeret ad cognoscendas aliquas actiones, ut conditionaliter futuras, &c.

Ruiz de Montoya

Hinc Macedo ibidem pag. 528. ait: In sententia quæ ponit certitudinem illius (*scientiæ*) ante omne Decretum, quales sunt Jesuitæ, ad simplicem intelligentiam reducitur; in alia vero, quæ ponit certitudinem in Decreto Divino conditionato revocatur ad scientiam vissionis. *Vbi velim advertere, quod Decretum est purè conditionatum, quando conditio cadit ex parte volentis; v. gr.* Si voluero facere hoc, erit tale; *at si conditio se tenet ex sola parte objecti, est subjectivè absolutum, quia sic decernens habet firmam voluntatem faciendi aliquid, posita conditione. Et ideo, si ego decernam sic*: Occidam Petrum, si me lædat, *pecco mortaliter; quod non esset, si talis actus, non esset volitio mali. Vnde ex ipsis contrarijs patet, quod talia futura cognoscuntur per scientiam vissionis, ut insinuat Ruiz de Montoya; vel per scientiam simplicis intelligentiæ, ut vult Valencia. Potest salvari enim scientia vissionis, quin habeat hanc denominationem, aut sit intuitiva circa objectum minus principale, scilicet tale futurum, quod terminat scientiam liberam innixam Decreto Libero Dei subjectivè absoluto. Imò, & potest dici scientia vissionis imperfecta negativè in linea vissionis. Vel potest dici quod tale futurum cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, quia conversio Tyriorum, v. gr. & prædicatio Christi sunt merè possibilia, in sensu absoluto, quamvis conversio Tyrio-*

192 **Macedo de scientia Dei.**

riorum sit futura in sensu conditionato. Sicut ergo apud Lesium, Disp. Apolog. de gratia efficaci cap. 19. *scientia media*, ex parte objecti est libera, ex parte subjecti necessaria, *ita nos dicimus decreta ex parte subjecti absoluta, & ex parte objecti conditionata.*

Hinc P. Salmeron, non agnoscit, nisi scientiam simplicis intelligentiæ, 193 *quam aliquando vocat idealem, & scientiam vissionem, nullam admittens* *Salmeron.* *mediam. Sed de hoc viro diximus suprà; sed advertat lector, quòd iste Magnus vir obijt anno* 1585. *antequàm Societas susciperet defendendam Molinæ opinionem.*

*Henricus Henriquez de ult. fine hominis cap.*4. *num.* 2. *ait*: Necesse est in signo rationis supponere in Deo liberam quandam Dei condi- 194 *Henriquez.* tionalem prædefinitionem, qua posita novit, quid esset facturus *At, quia contrarij communiter statuunt scientiam mediam, ita ut futurum constituatur præcissivè à Decreto, legatur Herice* 1. *part. disp.* 4. *cap.* 6. *qui* *Herice.* *postquam citavit Belarminum, Molinam, & Suarium, &c. ait*: Contrariam sententiam amplectuntur alij Doctores, qui existimant, ideo res esse futuras, quia cognoscuntur à Deo, non verò ideo cognosci, quia futuræ sunt. Sic videtur disertè loqui S. Thomam in hac quæst. art. 8. ad 1. ℞. enim ad testimonium Origenis, quod supra, ex Molina, & alijs retulimus, &c. *Vbi nota obiter, P. Herice fateri sententiam nostram esse D. Thomæ.*

Mirum autem est, quod P. Annatus in suo libro de scientia media, 195 *Alarconis Sectator, nominet illa decreta subjectivè absoluta, & objectivè* *Annatus.* *conditionata*, ridicula, nova, & inutilia, *quia ridiculum est supponere in Deo decretum negandi Tyrijs prædicationem, & simul Decretum conversionis eorum, sub conditione prædicationis. Miror, inquam, cum ipsi Iesuitæ admittant illa Decreta conditionata, scilicet,* concurrendi cum creatura ad actum, si creatura velit. *Similiter admittunt Decretum adventus Christi in carne impassibili, si Adam non peccasset; quod quidem defendit Scotus, & D. Thomas exponit ut valde probabile, & tamen concedunt Decretum absolutum adventus Christi in carne passibili. Sic Deus habet Decretum absolutum reprobationis Iudæ; & simul hunc actum: si Iudas perseveret in gratia, dabo illi gloriam. Imò ipsa scientia media est subjectivè absoluta, quia apud illos, Deus est necessitatus ad omnem cognitionem veram, & ideo cognoscit consensum solum conditionatè futurum, & sic est cognitio absoluta ex parte subjecti; quia hæc necessitas cognoscendi ab æterno omnes veritates, non dependet à consensu creaturæ. Deinde est scientia conditionata ex parte objecti, ut patet, quia est objectum sub conditione.*

Pater Macedo tom. 1. *collat.* 11. *dif.* 1. *sect* 10. *Cum sibi objecisset* 196 *ex Suario, & Herice Augustinum non impugnasse scientiam mediam, sed* *Macedo de* *abusum illius; & similiter non cognovisse hæc nostra Decreta, ait*: His ob- *Augustino.* jectionibus ita respondeo ad 1. negando solum abusum in introducendis meritis conditionatis per illam scientiam, improbasse Augustinum; & affirmando, improbasse etiam independentiam à Decreto conditionato, ut ocasionem tolleret ponendi aliquod initium meriti discreti-

vum

vum in ipsamet voluntate, quale, eo prætextu meriti conditionati inducebant Masilienses.

Si autem fiat objectio de peccato, quod ab æterno est futurum, & consequenter si cognoscitur à Deo in Decreto, Deus vellet peccatum, non solum

197 **Solutio ex Macedo.** *quoad entitatem, sed etiam quoad deformitatem, quæ etiam est futura.* ℞. *Macedo, ex Scoto in 1. dist. 41. quæst. unica, §. potest aliter. Dicente, quod Deus,* scit hunc peccaturum, non solum quod scit se permissurum, sed etiam, quia scit se cooperaturum huic ad substantiam actus (*id est entitatem*) non circunstantionati, *id est cum malitia. Nec per ly:* Cooperaturum, *advertit Macedo, intelligas decretum concomitans, nam ipse Scotus dist. 39. quæst. 2. §.* Sed nunc restat videre, *num. 12. ait:* Sicut Deus prius naturaliter agit ad actionem rectam (*nota concursum prævium*) quàm voluntas creata, ita videtur,&c. *Vid. Macedo tom. 2. collat. 9. dif. 3. pag. 542. Ricardus de Mediavilla in 2. dist. 37. docet idem quod nos. In 2. quæst. pag. 150. edit. Venetæ 1509. Lege supra n. 76.*

198 **P. Valencia.** *Pater Valencia confirmat solutionem Thomistarum dicentium, Deum cognoscere malitiam peccati futuri, vel in Decreto positivo entitatis, vel in Decreto permissivo malitiæ. Sic enim ait in 1. part. quæst. 19. disp. 1. punct. 3. pag. 305. contra Bezam:* Adde, quod etiamsi peccatum, ut ad bonum ordinatur esset verè bonum, tamen non ideo esset necesse, ut si Deus vellet eam rationem bonitatis in peccato, vellet etiam ipsum peccatum in se ut conjunctum illa ratione boni. Posset enim Deus nihilominus arbitrio libero voluntatis suæ, ita inter rationem ejusmodi bonitatis, & ipsum peccatum discernere, ut rationem illam vellet, & peccatum abominaretur, etiam ut conjunctum, cum illa boni ratione. *Vbi arguit contra Theodorum Beza dicentem Deum velle etiam malitiam, quia illam ordinat ad aliquod bonum.*

199 **P. Vazquez.** *Pater Vazquez nobis in hac parte, utraque favet manu, ait enim disp. 65. cap. 2. num. 9.* Deinde supponimus Decretum hoc voluntatis Dei ordine quodam causæ prius esse quam res sit futura. Imò ex eo aliquid esse futurum, quia Deus voluit::: Præcedit ergo Decretum Dei rem futuram, prout futuram, sive illud dicamus etiam præcedere concursum, & determinationem secundæ causæ liberæ, sive eam solùm comitari,&c. *Et cap. 3. num. 15. & 16. ad objectionem prædictam, ait:* Respondetur omne peccatum, sive commissionis, sive omissionis habere conjunctum aliquem actum positivum,&c. Sed in peccato commissionis, positivum est, actus, qui dicitur esse contra legem, & in quo, veluti in proprio subjecto est malitia, & formale peccati; ipse enim actus dicitur, materiale, quod est in peccato. Cum igitur Deus sit in tempore causa totius positivi actus qui est, aut causa, (*scilicet in peccato omissionis*) aut materiale subjectum peccati (*scilicet in peccato commissionis*) sequitur illud velle, ac proinde ab æterno voluisse. *Vid. num. 17. & lib. 4. num. 18. sed de hoc in puncto sequenti.*

PVN-

PVNCTVM XIV.

OSTENDITVR DECRETVM, ET PRÆDETERMInationem, etiam esse quoad entitatem actus mali. 200

OBIECTIO.

Communis existimatio Calvinistarum est, in præsenti, ne latum quidem unguem se à Thomistis, vel à se Thomistas discedere: : Eam opinionem censet Belarminus Calvinianam; Calvino consonam Peronius: : Ipsam vocat Berratus hæreticam, Adamus erroneam, impiam Clictovæus, detestandam blasphemiam Pighius, periculosam Ubaldensis, temerariam Belcarius, &c. *Ita P. Aranda lib. 3. disp. 18. sect. 1. num. 521. & 522.*

RESPONSIO.

TOt P. Aranda accumulat censuras, non modo ex Auctoribus extraneis, 201 *P. Aranda.*
sed ex Thomistis, ibi transcriptas, quod, ad earum sonum. ignorans lector, quasi fulmine ictus, succumbat. Percurramus singula; & juxta meum propositum alienis utamur testimonijs. Mag. Parens Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 7. & 8. ait: Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens: causas porrò defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium. *Hæc est planè Thomistarum doctrina, qui Deum ut primam causam efficientem proclamant, voluntatem verò nostram, ut primam causam deficientem, uno ore pronunciant; ut sic effectus tribuatur Deo, ut primæ causæ efficienti, defectus verò creaturæ, ut primæ causæ deficienti. Contrarij autem, suum concursum indifferentem statuentes, etiam ad defectum, causalitatem Dei trahunt, ut videbimus. Imò Nominales teste Lorca in 1. 2. de peccatis disp. 39. concedunt hanc:* Deus facit peccatum, *intelligentes actum quoad entitatem. At nos ut malè sonans illud rejicimus. D. Thomas in 2.* 202 *S. Thomas.*
ad Anibaldum dist. 36. quæst. unica art. 4. expressè determinat nostram sententiam, de quo non nisi stultus potest dubitare. Ibi enim postquam rationes proposuit, concludit in corp. Et ideo substantia actus peccati est à Deo, non autem deformitas; & quia peccatum utrumque dicit, non potest simpliciter concedi, quod peccatum sit à Deo. Et est simile de claudicatione, cujus deformitas est ex defectu Cruris, sed substantia actus ex virtute gressiva. *Similiter loquitur D. Thom. in 2. dist. 37. q. 2. art. 2. & 1. 2. quæst. 79. art. 2. & de malo quæst. 3. art. 1. At, quia P. Aranda ibidem, nostram hanc sententiam dicit :* Augustino, Concilio Tridentino, & Sacræ Scripturæ contrariam, *teste* Valencia, *quin locum in quo P. Valencia tale scribat, nobis ostendat, ut circa alios solet etiam omittere; opus est testimonium P. Gregorij de Valencia examinare.*

203 *P. Valencia.* *Ille ergo tom.* 1. *in* 1. *part. quæst.* 19. *punct.* 3. *circa finem pag.* 305. *ait*: Quintò objicit nobis Beza pro blasphemia sua, valde otiosè, quædam etiam testimonia D. Thomæ. Is enim 1. part. quæst. 49. art. 2. ad 2. quæst. 79. art. 1. ad 3. dicit, id quod est entitatis in peccato, puta, ipsam actionem à Deo esse, quamvis non ipsum defectum illius, &c. *Et R. P. Valencia ibi*: Respondeo nihil habent hæ sententiæ commune, cum blasphemia Bezæ. Nam quod ad priora loca attinet non est quæstio de ipsa entitate pravæ actionis; hanc enim omnes cum D. Thoma fatemur cadere in divinam voluntatem, cum sit, & esse à Deo, tanquam à causa universali concurrente cum voluntate humana; sed quæstio est de ipso defectu, & deformitate culpæ, quam D. Thomas ibidem Ortodoxè negat esse ullo modo à Deo. *Idem habet P. Valencia, & expressius pag.* 300. *lit. D ubi dicit*: Convenit actum quidem positivum qui subest ipsi malitiæ peccati, & pars materialis peccati dici solet, eatenus, cum homo peccat in voluntatem cadere divinam, quatenus oportet omnem effectum positivum causæ inferioris esse etiam effectum Dei, ut est prima, & universalissima omnium causa per suam voluntatem. Tertio convenit malitiam ipsam culpæ in se, sub nulla quoque ratione in divinam voluntatem ita cadere, ut ejus etiam præcepto ad eam obliget, vel consilio ad eam hortetur, sicut facit ad actiones bonas. *Attende differentiam causæ moralis, vel physicæ, quam dicunt Thomistæ in solutione argumenti.*

204 *Scotus.* *Scotus in* 1. *dist.* 41. *quæst. unica* §. præterea *num.* 13. *ait*: Deus præscit se cooperaturum Lucifero ad substantiam actus, qui erit peccatum, hoc autem præscit, quia vult cooperari illi, &c. *ex quo patet, ait* *Macedo.* *Macedo tom.* 2. *collat.* 9. *dif.* 3. *sect.* 5. *Scotum argumentari, supponendo, &c. Et dicit*: Quod hoc pertinet ad causam physicam in genere physico, non morali; & totum proprium causæ secundæ ad illam redit tanquam ad causam moralem, qualis Deus, respectu actus mali esse non potest. *Ideo Lorca* 1. 2. *de peccatis disp.* 38. *pag.* 208. *hanc sententiam tribuit Scoto. Vid. Macedo ibi pag.* 545. *ubi nostram Doctrinam exprimit ad Sacietatem.*

Div. Bonaventura, adductus contra nos, apertè nobis favet, verbis, quibus, malè intellectis, ut nobis contrarius proponitur, in 2. *dist.* 37. *art.* 2. *quæst.* 1. *ubi inquirit*: Utrum actio injusta, secundum quod hujusmodi sit à Deo? *Et resolvit non esse à Deo,* (secundum quod hujusmodi) *quia actio* prout injusta, *importat malitiam; & concludit*: Et ideo, quamvis sit à voluntate deliberativa, non sequitur quod sit à Deo; quia (*malitia*) non est à voluntate, secundum quod deliberativa, sed secundum quod defectiva. *Ibique sicut nos distinguit in peccato, & actum, & malitiam actus.*

205 *Suarius.* *Pater Suarius Opusc. Relect. de libert. voluntatis divinæ disp.* 1. *sect.* 2. *num.* 14. *ait*: Oportet tamen in peccato distinguere aliquid quod à Deo fit, & aliquid quod ab ipso non fit, operatur enim Deus actum peccati, non malitiam ejus, & hoc est, quod docuit Hieronymus. *Et ob-*

observa, quod plures Auctores, & aliqui Thomistæ, ut à sensu Calvini, & Bezæ recederent, dixerunt non movere Deum ad actum peccati, intelligentes, actum, ut fundantem, vel ut connexum cum malitia; & sic inutiliter adducuntur contra nostram doctrinam.

Pater Azor Instit. Moral. lib. 4. cap. 21. quæst. 1. in fine pag. 308. 206
lit. B. sic ait: Sed quæstionis est dubiæ, an peccatum, ut actus quidam *P. Azor.*
est, fiat à Deo, non solum cum homine faciente illum actum (*hic est concursus simultaneus*) sed etiam movente hominem ad ipsum actum? (*in quo stat præmotio*) *Et postquam refert opiniones, ait*: Non igitur movet Deus hominem ad peccatum, sicut nec facit cum homine peccatum, quoniam peccatum mali rationem habet, & Deus illam deformitatem, & turpitudinem, nec facit cum homine, nec movet hominem ad faciendum, sed facit cum homine actum malum, quatenus actus quidam est, & boni naturalis rationem habet, ac propterea non movet hominem ad malum, sed ad bonum. *Ibidem quæst. 2. lit. D. sic procedit*: Quæritur an Deus præfiniat peccata? Præfinire est ante statuere, atque decernere, quid sit in rebus agendum? Sunt tres opiniones, quarum prima,&c. Secunda opinio,&c. Tertia opinio in universum ait: Deum præfinisse benefacta, & malefacta hominum. Benefacta quidem omni ex parte, qua sunt. Malè facta verò, quatenus sunt quidam liberi arbitrij actus, non tamen quatenus à recta ratione dissentiunt. *Et postea dicit*: Alij autem Recentiorum (*nota recentiores illius temporis*) secundam sententiam acriter tuentur, ne Deum peccati Auctorem faciant, & ne cum Calvinistis, & Luteranis sentire videantur. *Sed statim ait Azor*: Existimo autem Auctores tertiæ sententiæ (*id est Thomistas*) nihil cum Calvinistis, & Luteranis sapere; quia, non eo sensu quo isti hæretici, dicunt præfinire peccata quatenus actus sunt.

Card. Belarminus tom. 4. controv. lib. 2. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 18. pag. 155. lit. E. distinguit sicut nos causam efficientem, 207
& deficientem, & afert exemplum tibiæ curvæ ex Augustino in lib. de perfect. justit. resp. 4. quamvis defendat solum concursum generalem Dei ad *Belarminus.*
substantiam actus peccati; & ideo pag. 157. lit. D. concludit: Itaut actio particularis sit à Deo, sed non ideo sit talis (*id est mala*) quia est à Deo, sed quia est à voluntate. *Quod, & nos fatemur.*

Pater Alfonsus Rodriguez in libro exercitiorum, fratribus Societatis, *directo, & ab ipso Auctore recognito, pro editione Cæsaraugustæ 1625.* 208
part. 1. tract. 8. cap. 2. pag. 367 hæc vulgari idiomate profert. Para des- *P. Rodriguez*
terrar este error, y que vamos bien fundados en la verdad Catholica, notan los Theologos, que en los pecados, que haze el hombre concurren dos cosas, la una, el movimiento, y acto exterior; la otra, el desorden de la voluntad, con que se aparta de lo que Dios manda. De la primera es Auctor Dios; de la segunda el hombre. Pongamos caso, que un hombre riñe con otro, y lo mata. Para matarle huvo necessidad de echar mano à la espada, levantar, y menear el brazo, tirar el golpe, y hazer otros movimientos naturales, que se pueden considerar

por

por sì, sin el desorden de la voluntad del hombre que los hizo, para matar à otro. De todos estos movimientos en si considerados es causa Dios, y èl los haze como haze todos los otros efectos de las criaturas irracionales; porque assi como ellas no se pueden menear, ni obrar sin Dios, assi, tampoco, sin èl, no pudiera el tal hombre menear el brazo, ni echar mano à la espada; y demàs de esto, aquellos actos naturales, de sì, no son malos, porque si el hombre usasse de ellos para su necessaria defensa, ò en guerra justa, ò como Ministro de Justicia, y matasse à otro, no pecaria.

209 Pero de la culpa, que es el defecto, y desorden de la voluntad, con que el malo haze la injuria, de aquella deviacion de la razon, y torcimiento de ella, no es causa Dios, aunque la permite, porque pudiendola impedir, no la impide, por sus justos juizios. Declaran esto, con una comparacion. (*que es la que trahe Santo Thomàs* 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 2.) Tiene un hombre una herida en el pie, y anda con èl cojeando. La causa de que ande con el pie, es la virtud, y fuerza motiva de el Alma; mas, del cojear, la causa es la herida, y no la virtud del Alma. Assi en la obra que uno haze, pecando, la causa de la obra es Dios; mas, que falte, y peque obrando, es del libre alvedrio del hombre. *Et post pauca addit*: Dios es el que meneò la mano, del que os lastimò, y lengua del que os dixo la palabra afrentosa, &c. *Videat nunc Pater Aranda, an hic V. vir, inter viros spirituales famosus, suis fratribus præbuerit doctrinam Calvinismi, ut possent Religionis vocationi, & Deo respondere.*

210 *Pater Ripalda, quamvis in alio puncto, nostram roborat doctrinam; nam tom.* 1. *de ente superno lib.* 3. *disp.* 50. *sect.* 3. *num.* 17. *ait*: Actus elicitus agratia potest reddi vitiosus, quin concursus gratiæ ullatenus attingat malitiam, nec aliquid identificatum malitiæ, nec connexum necessariò cum malitia. *Et hoc probat*: Quia cum actus supernaturalis imperatur intentione vitiosa, gratia auxiliatrix Dei concurrit solum ad actum imperatum quoad entitatem intrinsecam actus, & nullatenus concurrit ad malitiam ipsius, neque ad quidpiam idemtificatum malitiæ, neque connexum cum malitia; quia tota malitia est actui extrinseca proveniens à vitiosa intentione; concursus autem gratiæ exercetur in entitatem intrinsecam actus imperati. *Ecce quomodo præcissionem nobit ofert, ultra desiderium, penes entitatem, & malitiam actus. Satis sit de hoc puncto, cum Alexandro Alensi part.* 1. *quæst.* 22. *membro* 2. *dicente*: Potentia peccandi, id est potentia faciendi hanc actionem, in quantum actio est, à Deo est; sed deformitas illa, quæ in potentia peccandi intelligitur ratione peccati, à Deo non est, sed hujus deformitatis principium est voluntas nostra, secundum quod est in actu. *Denique Div. Vincentius Ferrarius in* 1. *Serm. S. Mathiæ num.* 5. *ait*: Deus est causa principalis omnium, demptis culpis peccatorum, de quibus actus est à Deo, culpa verò à peccatore.

P. Ripalda. *Alex. Alen.* *S. Vinc. Fer.*

PVN-

PVNCTVM XV.

OSTENDITVR ANTIQVITAS, ET PROPRIETAS terminorum, quibus utuntur Thomistæ ad suam doctrinam defendendam. 211

OBIECTIO.

In explicanda gratiæ cum libero arbitrio consensione, jam pridem Thomistæ sudant; ut Gordium hunc secarent nodum admoverunt distinctionem sensus divisi, & sensus compositi, solis ipsis perviam; nullibi, vel in Augustino, vel in D. Thoma repertam. *Ita P. Gabriel Daniel in epist. 9. ad Natal. Alexandrum.*

RESPONSIO.

Ferè eodem, P. Aranda, stylo, illam distinctionem repudiavit lib. 5. Scholæ scientiæ mediæ disp. 26. num. 126. dicens: Usus sum termino libertatis, potius quam potestatis ad præocupandos inanes recursus sensus compositi, & divisi, & alios similes. Qui sunt, necessitas consequentiæ, vel consequentis. Potentia simultatis, vel simultas potentiæ; *quibus Thomistæ assiduè in solutione argumentorum utuntur. Addidit illis dicteriis robur Livinus de Meyer, asserens*; Calvinum non aliter intellexisse sensum compositum, & divisum, quam Thomistas. *Contra quos, non opus est testimoniis, domum extra, quærere, sed ipsos Theologos Societatis advocare. Distinctionem Calvini longè esse à distinctione Thomistarum, fatentur, Decamps, Annatus, Martinonus, & Livino de Meyer notissimus, P. Ægidius Extrix Soc. Iesu Provincialis in Belgio, qui in Thesibus publicis*, de sensu composito, & diviso, *defensis Lovanii in Collegio Atrevatensi die 31. mensis Iulii anni 1687. hæc protulit*: Ad corrigendos, quorundam intelligentias, quæ possunt pacem turbare, ego infrascriptus declaro, nec esse, nec unquam fuisse opinionem meam, aut meorum Professorum Lovaniensium, sensum compositum, & divisum S. Thomæ esse eundem sensum, ac sensum compositum, & divisum Calvini, in materia gratiæ, & libertatis. Sed priorem sensum Sancti Doctoris esse ortodoxum, posteriorem verò Calvini esse hæreticum. In quorum fidem libens subscribo. Antuerpie die 12. Novembris anni 1686. Ægidius Extrix Provincialis Societatis.

212 **Aranda.** — **P. Extrix, cum D.Thom**

Habet Livinus alicubi in D. Thoma esse repertam, ex testimonio suæ Scholæ; sed loquatur pro se D. Thomas quæst. 6. de veritate art. 4. ad 8. scribens: Ideo dicitur communiter, quod hæc: Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, in sensu composito est falsa, in diviso vera; & ideo omnes locutiones illæ quæ sensum compositum implicant sunt falsæ simpliciter. *Nota ly*: Dicitur 213 **D. Thomas.**

communiter; *quibus verbis D. Thomas significat, esse tunc temporis illam distinctionem communem. Sic loquitur etiam 1. part. quæst.23. art. 6. ad 3. sic quæst. 23. de veritate art. 5. ad 3. Ubi etiam simultatem potentiæ, vel potentiam simultatis distinguit sic*: Dicendum, quod quamvis non esse effectus divinæ voluntatis non possit simul stare cum voluntate divina, tamen potentia deficiendi effectum divinæ voluntatis simul stat cum divina voluntate; non enim sunt ista incomposibilia: Deus vult istum salvari, & iste potest damnari; sed ista sunt incomposibilia: Deus vult istum salvari, & iste damnatur, quia composita est (*propositio*) & conjungit actum cum actu.

S.Vinc. Fer. *D. Thomam secutus est ejus Discipulus S. Vincentius Ferrerius, Serm. fer. 2. post Dom. Pass. num. 8. ad illa verba*: Ubi ego sum vos non potestis venire, *dicens*: scilicet, in sensu composito, &c. *Et postea repetit hanc distinctionem.* Carthusianus *Similiter B. Dionys. Cart. in 1. dist. 38. quæst. 2. cujus titulus est*: Utrum præscientia, vel providentia Dei imponat rebus necessitatem? *Ubi pag. mihi 557. ait*: Ideo bona est distinctio, qua dicitur, quod est necessarium necessitate consequentiæ, non consequentis.

214 Mag. Sent. *Antiquitas autem hujus distinctionis patet ex Mag. Sentent. in 1. dist. 38. §. ult. Ubi cum sibi objecisset circa præscientiam Dei, argumentum frequens apud contrarios, respondet*: Ad quod dicimus illam locutionem multiplicem facere intelligentiam, scilicet, aliter potest fieri, quàm Deus præscit, & ejusmodi, ut potest non esse, quod Deus præscit; & imposibile est non esse quod Deus præscivit, & imposibile est non esse præscita omniaquæ fiunt; & hujusmodi. Possunt enim hæc conjunctim intelligi (*nota sensum compositum*) ut conditio sit implicita; & disjunctim. (*nota sensum divisum*) Si enim ita intelligas, non potest aliter fieri quàm Deus præscivit, id est, non potest utrumque simul esse, verum intelligis; si autem per disjunctionem intelligas, ut dicas, hoc aliter non posse evenire, quam evenit, & quomodo Deus futurum præscivit, falsum est. *Vide quomodo Mag. utitur illa distinctione. Quam amplectitur* Durandus. *Durandus ibidem, in principio, dicens*: Et per hoc possunt solvi omnes propositiones.

215 Scotus. *Scotus, similiter in 2. dist. 19. in quæst. Reportatis, quæst. unica, circa posse mori hominem in statu innocentiæ, & posse non mori, ait*: Sicut igitur alvum posibile est esse nigrum in sensu diviso; sic posibile fuit hominem mori, sed non simul, sicut in sensu composito. *Ipse Scotus in 1. dist. 41. quæst. unica num. 35. dicit*: Contingentia relata ad divinam scientiam sunt tantum necessaria necessitate consequentiæ; hoc est: ista consequentia est necessaria: si Deus scit illa esse futura, illa erunt Non tamen sunt necessaria necessitate absoluta, nec necessitate consequentis. *Quid clarius pro terminis Thomistarum?*

216 Valencia. *Pater Valencia 1. part. quæst. 14. disp. 1. puncto 5. pag. 247. ait*: Sequitur secundò, quomodo intelligenda, & concedenda sit ista propositio: omne quod est præscitum à Deo necessario est futurum. *Et res-*

respondet. Esse necessarium effectum in sensu composito, vel etiam necessitate consequentiæ, ut dici solet; si autem illa propositio intelligatur de necessitate simpliciter, ut sit sensus nulla facta suppositione, aut compositione præscientiæ divinæ, sed etiam divisim considerando effectum, & ejus causam secundum se, necessarium esse, ut sit futurus, quæ solet nominari necessitas in sensu diviso, & necessitas consequentiæ, sic falsa est propositio illa. *Et postea adhærens Cayetano, ait:* 5. sequitur, sicut in sensu diviso effectus futurus potest non esse futurus, ita etiam posse Deum in sensu diviso, non præscire, id quod præscit: & idem dicendum est, de alijs actibus divinis connexis cum præscientia. *Vide ibi, satis prolixè circa terminos Scholæ Thomisticæ. Eodem modo loquitur Vazquez 1. part. disp.* 68. *cap.* 3. *num.* 14. *dicens:* Ut ajunt in Scholis in sensu composito, non tamen absolutè, & ex se, non supposita scientia Dei, quod vocant in sensu diviso.

Driedo, à contrarijs laudatus, lib. de concord. lib. arbitrij fol. mihi 24. *pag.* 1. *ait:* Confert autem huic materiæ, intellecta distinctio dialectica de necessitate consequentis, & consequentiæ. Multæ enim sunt consequentiæ necessariæ, quarum consequens est contingens. Et hæreticus in hac distinctione vincitur, & concluditur. *Suarez Prolog.* 1. *de arbitrij libertate cap.* 6. *affigit hunc titulum:* Quæ necessitas antecedens, vel consequens, seu in sensu composito, vel diviso repugnet libertati. *Pater Henao, ut solvat arg. Mag. Vives event.* 18. *num.* 532. *ait:* Quod auxilium B. sit incongruum non obstat, quia illa incongruitas est suppositio consequens, & voluntas nostra potest illam impedire, inducendo congruitatem, non quidem in sensu composito, sed in sensu diviso, id est, dividendo ab auxilio incongruitatem, & conjungendo cum illo congruitatem. 217 *Driedo.* *Suarez.* *Henao.*

Affinis est huic distinctioni, illa, quam traddit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 11. *in principio dicens:* Tripliciter ergo possumus considerare charitatem. Uno modo ex parte Spiritus Sancti moventis animam, ad diligendum Deum, & ex hac parte charitas impeccabilitatem habet, ex virtute Spiritus Sancti qui infallibiliter operatur, quodcumque voluerit. *Quæ infallibilitas ex D. Thoma hic, & pluribus alijs in locis replicatur. Quo circa jam diu Sixtus IV. damnaverat hanc propositionem:* Quidquid per necessariam consequentiam sequitur ex inimpedibili, hoc est inimpedibile, & necessarium. *Illam docuerat Petrus de Rivo, circa annum* 1470. *publicus Professor Lovaniensis, in tract. de scientia Dei, de futuris contingentibus, & de Decretis Divinis; & reprehensus est ab Henrico Zobemerio, ac Iacobo Schelubaerto, Theologis Parisiensibus, in Lovaniensem Academiam cooptatis. Ex Summi Pontificis Iussu, coactus est Rivus ad Palinodiam; & quia apparenter præceptis Pontificis se submissit, hic illum commendavit, ut iterum ad Academiam Lovaniensem rediret.* 218 *Rivus.*

At postea, & petulantiùs, docuit ipsos errores; quare Sixtus IV. ad Academiam direxit singulare diploma, in quo hæc scripsit: Nos, qui propositiones prædictas, velut scandalosas, & à Catholicæ fidei semita devias, 219 *Historia de Rivo.*

vias, tunc damnavimus, prout etiam in præsentiarum damnamus. *Totum hoc constat ex Academiæ Lovaniensis tabulis, & ex fastis Academiæ, illo diplomate typis dato, pag. 351. & quia excidit tale diploma, ne aliquis de illo dubitaret, mentio de illo fit à Sylvio lib. de primo Motore. Non me latet P. Aranda, aliorum imitantem effugium, lib. 5. disp. 26. num. 130. recurrere ad alias propositiones damnatas, quas, ex illo principio, Rivus inferebat, tali principio intacto manente; & sic dicere:* Verùm hæc impostura est, &c. *Ioan. de Lugo disp. 26. de Incarnatione sect. 6. Et Paulus Leonardus parte 3. sect. 8. dicunt Rivum non fuise innixum illo principio; & pro sua assertione afferunt codices cujusdam Theologi, qui Rivum impugnavit; quare dicit Aranda, quod,* ex authenticis narrat Cardinalis de Lugo. *At hoc testimonium, quod vocatur authenticum, Auctore Individuo vago, corruit, si fides adhibeatur, ut par est, Balduino, Ioanni Decherio, Francisco Sylvio, & ipsi Academiæ Lovaniensi in suis tabulis. Imò ille Theologus innominatus recensens Academiæ propositiones, oppositas erroribus Rivij ponit hanc, ordine tertiam:* Dei præscientia de futuro rerum eventu contingentium, ac futurarum, infert per necessariam consequentiam res illas fore; cujus tamen consequentiæ necessitas, non tollit contingentiam consequentis. *Ergo quia Rivus ex necessitate consequentiæ, quam, ex vi decreti, & prædeterminationis inevitabilis, docent Thomistæ, inferebat necessitatem consequentis; sed hoc volunt Adversarij: ergo. Placet Ægidium Romanum Consulere in 1. sent. dist. 38. quæst. unica, fol. 204. Venetijs 1501. ubi removens errorem, ibi:* Respondeo, *ait:* Non enim verum est, ideo aliquid à Deo præscitum esse, quia futurum est, sed potius è converso, futurum est, quia à Deo præscitur. *Et ibi prolixè, sibi objicit, quod nobis contrarij objiciunt, argumenta proponens sic:* Distinguere hanc: præscitum à Deo de necessitate eveniet; secundum sensum compositum, & divisum, videtur superfluum, & inane. *Vtens ergo in tota resolutione terminis Scholæ Thomisticæ, respondet ad argum.* Rursum: Omne scitum à Deo est necessarium, si intelligatur composité, vera est, necessitate conditionata; si intelligatur divisim, non est vera; eo quod res contingens secundum suam considerata naturam, vel prout in suis causis, non relata autem ad cognitionem potest evenire, & non evenire::: non est igitur incompetens prædicta distinctio. *Et in tota illa quæstione tractat de necessitate* consequentiæ, & consequentis.

Ægidius Romanus.

PVN-

PVNCTVM XVI.

OSTENDITVR SCHOLAM THOMISTICAM, longè esse ab errore Iansenismi, Calvinismi, & Quesnellismi, illi à pluribus Adversarijs impositi, ex testimonio Doctorum Societatis, Thomistas vindicantium. 220

OBIECTIO.

Ego, nullo contentionis studio, sed solius amore veritatis, re hac diligenter examinata, existimo, gratiam a se ipsa efficacem novum esse Luteri, Calvinique commentum. *Ita P. Livinus de Meyer dissert. 1. cap. 1. de mente Concil. Trident.*

RESPONSIO.

Nihil frequentius in Gymnasijs resonat; quam Iansenismus impositus Thomistis; ut sic, dogmata non discernentes, à Prædeterminationis, & gratiæ per se efficacis, quasi à facie colubri, fugiant, avertantur, recedant. Hoc exordium habuit à celeberrimis utriusque Scholæ controversijs; ideoque P. Ripalda tom. 2. disp. 113. sect. 9. num. 53. scripsit: Banes, & plerique ejus Discipuli, in publicis disputationibus, privatisque sermonibus ceperunt notare illam sententiam (*scilicet Molinæ*) ut Pelagianam. Nostri è contra, ut notam Pelagianismi evitarent, objiciebant oppositæ notam Calvinismi. *Quam, sicut Iansenismi, & Quesnellismi, quotidie Adversarij nobis objiciunt. Antequam ergo rem discutiamus, legatur Iansenius lib. 8. de gratia Christi Salvatoris cap. 2. ubi ait*: Qui gratiam medicinalem Christi, sic defendere conantur, ut eam in Prædeterminationem physicam transforment; omni statui hominum Lapsorum, & Innocentium, ex vi causæ primæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profectò Aristotelici sunt, quam Augustiniani. *Vide qualiter Thomistæ adhærent Iansenio, illos damnanti, quoad doctrinam de Prædeterminatione, quasi cum D. Thoma Aristotelem sequantur, & ab Augustino recedant; cum tamen ipse lib. 2. Proœmiali de ratione, & auctoritate cap. 22. vocet D. Thomam* Augustinum contractum, *itaut*, Sancti Thomæ Summa, ubi Theologiam tractat, pro magna parte, nihil sit aliud, nisi Augustinus contractus, certaque proportione naturalibus principijs alligatus. 221 P. Ripalda. Iansenius.

Quia tamen, plures Scholastici minus eruditi, plura de Calvinismo ignorant, monendi sunt, ne Calvini Sectatores aliàs, cum ipsius Calvini doctrina circa gratiam, & liberum arbitrium, confundant. Melancton, enim, inter Calvinistas famosus anno 1534. in suis admonitionibus ad Gallos fassus est ingenuè, plures controversias de gratia, & libero arbitrio, suos inter, & Catholicos penitus evanuisse; qua propter in suo Conventu Ra- 222 Calvinus.

Calvinistæ. *tisponensi anno* 1541. *Protestantes, recedentes à sensu Calvini, in capite de gratia, & libero arbitrio, Catholicis consenserunt. Et similiter in Conventu Augustano anno* 1548. *Ideo Ill. Bosuetus Meldensium Episcopus, & Calvinianæ Sectæ Triumphator in expositione fidei Catholicæ cap.* 7. *hoc fatetur. Et lib.* 8. *variationum cap.* 51. *ait*: Modo, bona fide, & concordi consilio res agatur, ne levem quidem inter nos dissidij umbram experior, quoad illam de liberi arbitrij cooperatione controversiam.

223 *Adrianus, & Petrus de Vvalenburch Episcopi tom.* 2. *controv. tract.* 1. *cap.* 57. *edito anno* 1652. *sub hoc titulo*: Apropinquatio Protestantium ad doctrinam Catholicam, *hæc habent*: Circa concordiam cooperationis divinæ cum libero arbitrio, variæ sunt Doctorum Catholicorum sententiæ. Belarminus dicit: cooperationem divinam, ita concurrere cum secundis causis, etiam liberis, ut non solum eis dederit, & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat, & applicet ad opus. Thomistæ idem tenent, & applicationem ad opus, intelligunt de determinatione efficaci. Modernorum Reformatorum sententiam juxta Thomistas explicat Crocius (*tom.* 2. *controv.* 15. *sect* 1. *n.* 14 *pag.* 689.) *P. Veronius Iesuita insignis* 3 *part. controv. cap.* 2. *de lib. arbitrio, postquam locutus est de varijs confessionibus hæreticorum Galliæ, Bataviæ, Scotiæ, Angliæ, Helvetiæ, Augustanæ, Saxoniæ, ait*: Magistrorum suorum doctrinam abnegant, suosque articulos tot interpretationibus emolliunt, ut nihil jam adversus Romanæ Ecclesiæ doctrinam doceant. Satis nobis illorum Professio sit. Atque utinam in alijs errorum capitibus, ita se gererent.

Discretio Calvini, & Calvinistarum.

224 *Audiendus est in hac parte M. Iurieu Calvinista, tract. edito Rotherodami de natura, & gratia cap.* 9. *pag.* 119. *ubi dicit*: Censent, & quidem, ex Religionis debito, Reformati planè omnes, divinam operationem, quæ & voluntatem prævenit, & ad bonum invictè determinat, libertatem ejus nullatenus lædere. Gratiam enim prævenientem, determinantem, atque etiam irresistibilem profitentur Ecclesiæ nostræ. Credimus, scilicet, nos ad singulos actus bonos Spiritus Sancti gratia præveniri, & ad bonum speciali efficatia determinari, quæ in electis victrix semper sit. Firma porrò fide profitemur eam divinæ gratiæ energiam, qua voluntas ad bonum necessario determinatur, libertatem minimè lædere. *Ex quibus verbis, cum distinctione gratiæ sufficientis, & efficacis, à Theologo Catholico examinandæ, clarè deducitur, Calvinistas in hoc puncto à Calvino recedere, cum concedant gratiam efficacem; sine læsione libertatis. Quia, igitur, plures Adversarij, suos Alumnos docent, eandem esse in hac parte doctrinam Calvinistarum, & nostram, non discernentes, Calvinum, & Calvinistas.*

225 *Ex dictis, hoc efformo ratiocinium: Calvinistæ fatentur se recedere à suo Principe Calvino, ut negante libertatem, ex vi gratiæ efficacis; sed ipsi Calvinistæ, fatentur in tali doctrina consentire. Thomistis: ergo Thomistæ in illa recedunt à Calvino, contra quem editus est Canon ille celebris sess.* 6. *Concil. Trid. ex quo patet quam futilis sit objectio P. Aranda, posita num.* 200. *Dicamus nunc de Iansenio, contra quem novissimè exarsit*

sit P. Iacobus San Felicius, Theologus Iesuita, qui in epistola nuncupatoria tomi anno 1728. *directi Benedicto XIII. Summo Pontifici, hæc habet*: His accedit, quod opus à me antea sponte susceptum, ut perficerem, ipse mihi stimulos addidisti, litteris ad Angelici Doctoris Discipulos, atque in Thomistica Schola Magistros, nuper datis, quibus non solum eos hortaris, ut D. Thomæ doctrinam tueri naviter porrò pergant; sed eum etiam maximè ob finem pergant, quod Sancti Thomæ exploratissimis sententijs damnati errores dissertisimè confutantur. *Titulus ergo tomi typis dati, Stephani Abbatis, Neapoli* 1728. *hic est*: Jansenij doctrina, ex Thomisticæ Theologiæ præceptis, atque institutis damnata. *In quo opere, profert, & manifestat unum supra quadraginta discrimina, in quibus Thomistæ discrepant à Iansenistis.* **P. San Felicius.**

226 *Præiverat P. Ripalda, contra Bajanos, & Iansenium disp. & sect* 3. *num.* 16. *apud Henao event.* 18. *num.* 551. *dicens*: Si quis autem scire vellit quam sententiam sectentur Bajani de auxilio gratiæ efficaci, quoad ejus constitutionem, an Jesuiticam, an Dominicanam? Respondeo, neutram sectari, sed ab utraque longissimè distare. *Sed expressius P. Stephanus Decamps lib.* 2. *de Hæresi Iansenij disp.* 6. *cap.* 9. *dicens*: Glorientur licet Janseniani tot se nuperi dogmatis Patronos habere, quot physicæ Prædeterminationis defensores extiterant; verè tamen mihi videor esse dicturus, nullos huic doctrinæ infensiores reperiri, quam qui post natam Calvini hæresim, ex S. Dominici Ordine, alijsque ejusdem Sacramenti Theologis, majoris eruditionis, & ingenij laude floruerunt. **P. Ripalda. P. Decamps.**

227 *Quasi autem, prædictus Auctor nuperas sugillationes audiret, & Thomistas susciperet vindicandos, cap.* 5. *disp.* 3. *hæc habet*: Quam invidiosè novi Dogmatis Fautores, quæruntur per Jansenij latus universam S. Dominici Familiam peti? Quam importunè jactant eandem esse utriusque causam; nec illam Tridentini Synodi fulminibus percuti posse, quin ijsdem, physicæ Prædeterminationis assertores omnes amburantur! Hoc in circulis apud imperitos, & mulierculas deblaterant; hoc in publicisDoctorum concertationibus urgent acerrimè; hoc in libellis, quos tam frequenter emittunt in lucem, magno verborum apparatu, ac pompa, cum omnibus expostulant. At istud tamen falsitatem omnem superat, & ab his cum stomacho ridetur, quibus utraque opinio nota est, atque perspecta.

228 *Nescio an legerit hæc Pater Aranda, ante quam disp.* 26. *num.* 117. *pag.* 350. *in favorem scientiæ mediæ, & contra nos dicat*: Nec ei parum ponderis additum est ex damnatione quinque propositionum Jansenij, ab Innoc. X. & Alex. VII. quæ propositiones diametraliter opponuntur doctrinæ scientiæ mediæ. *Omnes damnant prodigalitatem, ut oppositam diametraliter avaritiæ; & non ideo approbatur avaritia. Omnes damnant errorem Calvini oppositum errori Pelagij, & non ideo approbant Pelagij errorem; unde argumentum illud est nullum. Pro quo audiendus est P. Tannerus tom.* 1. *de Providentia, & Prædest. disp.* 3. *quæst.* 5. *dub.* 5. **P. Aranda.**

num.

num. 81. *apud Macedo tom.* 1. *collat.* 12. *dif.* 1. *in fine, sic differens*: Neque verò par est, ut odio unius hæresis in aliud extremum declinemus, quādo præsertim in utroque extremo hæreses inveniuntur. *Sicque Macedo ibi pag.* 529. *ait*: Quod dictum volo etiam pertineat ad Pennotum, qui ea ratione hæresim Calvinianam vitandi, sæpè deficit à suo Sanctissimo Parente, ac Doctore Maximo Augustino.

229 **Bysi.** *Cardinalis de Bysi duobus editis voluminibus fuse demonstravit singulas propositiones in Quesnello damnatas, prius esse rejectas, & proscriptas, in Thomistarum libris. Et novissimè Mag. Vanrants, in suo libro cui titulus*: Veritas in medio, *Thomistica doctrina confutat Quesnellum. Sed superiori auctoritate* **Benedictus XIII.** *Benedictus XIII. in litteris in forma brevis, & in confirmatione Privilegiorum Ord. Prædicatorum, alienam esse Scholam Thomisticam à Ianseniy, & Quesnelli erroribus, apertè monet. Sed quia à domesticis abstrahere proposui, redeamus ad extraneorum testimonia.*

230 **P. Annatus.** *Pater Annatus, qui in libro suo scientiæ mediæ, Tholosæ edito, fuerat totus in probando, doctrinam Thomisticam ipsam esse in hac parte, ac Calvini, & Ianseniy, cum esset senior correxit sententiam, in responsione ad* 17. *epistolam Ludovici Montaltiy pag.* 61. *&* 62. *ut tradit Gonet in Apologia Thomistarum, & post illum plerique Thomistæ. Sed legatur liber, quem edidit Romæ, sub titulo* de libertate incoacta, *contra Apologistam Ianseniy, ubi cap.* 2. §. 4. *ait*: Inde processit error Jansenij (*quem dicit eundem Calvini*) quod putaverit se eodem modo philosophari posse, quo Thomistæ, cum tamen diversissima sint eorum principia. *Et pag.* 226. *prosequitur*: Quem invenient Janseniani inter Thomistas, qui concedat ita necessarium consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ, quandiu illa inhæret, quomodo necessarius, est amor beatificus, quandiu durat vissio? Quem invenient, qui dixerit, voluntatem, divina gratia prædeterminatam, carere proxima ad dissentiendum potentia? Quem dabunt, qui distinctionem sensus compositi, & divisi, sic interpretetur, ut sensus sit, voluntatem à Deo motam posse dissentire, quando illa motio abjerit, & advenerit alia? *Idem dicit in lib. de* 5. *propositionibus Ianseniy edito Parisijs* 1653. *& in libro gallicè inscripto contra Iansenianos assignat* 18. *discrimina Thomistarum à Iansenistis. Videatur Azor supra num.* 206.

231 **Objectio.** *Objicies ex Eleutherio, in Codicibus Tyronum, adversus nos citato, quod Thomistæ familiaritate Iansenistis cohærent; ideoque Norbertum Delbequium traducit ut Iansenistam; eo quia Quesnelliy erroribus detectis, & ipso arripiente fugam, plures epistolæ inventæ sunt, quarum scriptores erant Dominicani, ut Norbertus Delbechius, ipsi Quesnellio addictus. Interroga lector ipsum objicientem, quare Eleutherius non facit mentionem de litteris Cardinalium, Episcoporum, & Magistrorum, quæ, inter Quesnelli scripturas sunt deprehensæ? Vel omnes isti arguendi sunt Iansenistæ, vel Norbertus non est arguendus, pro Iansenio. Quodnam argumentum est litterarum deprehensio, & familiaritas cum viro, aliàs docto, antequam ejus detegerentur errores? Certè D. Vincentius Ferrarius damnaretur ab Eleuthe-*

therio, ob litteras directas Petro de Luna, ut Pontifici Benedicto XIII. ab Hispanis ut tali recepto, cui familiaris fuit, & apud quem Magistri Sacri Apostolici Palatij munus gessit, antequam in Concilio Constantiensi, declararetur ut Schismaticus.

231 *Adhuc oportunius nobis venit exemplum. P. Oliva, Præpositus Generalis Societatis Iesu direxit litteras, datas die 25. Februarij anni 1680. Michaeli Molinos, circa Decretum Congregationis in negotio P. Gottardi Bell-huomi, qui scripserat librum de oratione, editum Mutinæ, vel Modenæ 1678. Typis Hæredum Miani. Quia in signum familiaritatis ipse Michael Molinos epistolam Paulo Oliva direxerat datam 16. Februarij 1680. in qua subdolus ille Hæresiarcha, lingua Italica fatetur, se esse legitimum filium, & discipulum Societatis Iesu, cujus Patribus suæ conscientiæ sinus aperuerat, per hæc verba fideliter in idioma Latinum translata.* Hæc illa Societas est, cujus, & filius, & discipulus esse, summa semper in laude posui: Conscientiæ Moderatores ex hac etiam Societate habui, quibus intimos animi recessus omnes aperui, uti probè compertum habent nonnullli R. P. V. Assistentes, qui etiam nunc hic Romæ degunt. *Accusabit, ex his, lector, P. Oliva, & ejus Socios quasi erroribus Quietistarum immixtos? Absit. Vt quid, igitur, Adversarius ita futiliter Norbertum, & alios Dominicanos arguit Iansenistas, & Quesnellistas, ob litteras illi directas, antequam ejus damnarentur errores? Apage.*

P. Olivæ Molinos.

233 *Legatur P. Dominicus Viva, in theses damnatas, qui Propositiones 5. Iansenij discernens, in 2. docet suam, & nostram Scholam longè esse à Iansenismo, num. ultimo. Et in 3. num. 12. idem facit. Et in 4. num. 20. tractat distinctionem sensus compositi, & divisi. Additur Caramuel tom. 1. Theolog. fund. lib. 1. fundam. 1. thesi 3. num. 62. dicens:* Janseniani non debent accenseri Thomistis. Isti enim, etiam quando loquuntur, severissimè, negant in sensu diviso necessitatem; quod probabiliter sufficit, ut salvetur libertas. At Janseniani in omni sensu necessitatem protrudunt, & re sublata, retinent merum libertatis vocabulum. Accedit, quod hanc ipsam, quam hodie cum Lutero, & Calvino habent Janseniani sententiam, hæreticam rotundè vocat S. Thomas quæst. 5 disp. quæst. 8. de Malo art. unico; quam censuram adfirmat Innoc. X qui eandem doctrinam condemnat, & hæreticam esse declarat. *Legatur Card. Aguirre de Auctoritate Rom. Pontif. tract. 1. disp. 21. sect. 2 n. 6. Vbi defendens, contra aliquos Iesuitas, doctrinam Thomisticam toto cœlo distare à sensu Iansenij, causam assignat:* Cum afferat (*Iansenius*) in hoc statu omne adjutorium sufficiens esse efficax, cui certè nemo resistit.

P. Viva. Caramuel. Card. Aguirre.

Pro fine hujus puncti oportunum erit judicium Serenissimi Principis, juxta, ac Doctissimi, Armandi de Contì, (Discipuli in rebus Theologicis P. Stephani Decamps de quo supra num 226.) cum enim ad confutandos Calvinistas ipsum P. Decamps vehementer urgeret, in epist. 9. scripsit hæc fideliter è Gallico idiomate, Latinè reddita: Id unum, mearum partium esse puto, ut prudens idemtidem aliquod consilium offeram, si huic fortè operi manum admoveat Paternitas vestra. Exempli causa: Ne

De Contì.

V Cal-

Calvinianis privatas Molinæ sententias, pro Ecclesiæ dogmatibus vendicet, quoties in illos calamum acuet.

PVNCTVM XVII.

234 *OSTENDITVR, DIFFICILEM ESSE CONCORdiam gratiæ cum libero arbitrio, nec illam posse in hac vita evidenter cognosci.*

OBIECTIO.

Sunt nonnulli Thomistæ, qui cum præstigijs velint intellectum nostrum deludere, suadere nobis volunt sua commenta, quasi fidei documenta, cui debeamus rationis lumen submittere. *P. Alarcon tom. 1. de Vissione Dei disp. 2. cap. 11. §. 3. num. 20.*

RESPONSIO.

235 Alarcon. *Concordiam libertatis cum gratia efficaci, ut mysterium captu difficile veneramur; & quia aliqui Thomistæ, Adversarijs objicientibus respondent:* Si non intelligunt credant. *Illa responsio, non sine risu à plerisque reprobatur. Ideoque P. Alarcon ibi, ad verba proposita hæc addit:* Profectò puto idololatriam quandam, si cultum quem debeo infallibilitati divinæ fidei, exhibeam figmentis Thomistarum: : At vero Thomistæ orent alios pro hoc obsequio, me tamen nunquam exorabunt. Lege Ruizium nostrum tom. de Scientia Dei disp. 59. sect. 1. ubi videbis, qua ratione solemnem istum cultum ambire soleant Thomistæ pro suis opinionibus, quando argumentorum vi illas suadere non possunt. *Non me latet M. Fr. Ioan. à S. Thoma 1. part. quæst. 12. disp. 14. Alarconis hæc dicteria modestè, & eleganter tractare. Ego autem non oro, ut P. Alarcon, aut alij credant fide divina, quod fidei mysterium non est; oro tamen, ut nullus velit inscrutabilia judicia Dei proprij cerebelli mensuris temerè adaptare.*

236 Zumel. *Doctissimus Zumel in hoc puncto 1. 2. quæst. 3. art. 3. Sic Adversarios describit:* Dicunt se non posse intelligere, quo pacto salvetur concordia liberi arbitrij cum gratia: : Si ipsi non intelligunt, fides, & Ecclesia intelligit. *Et cohæret Amico suo dilectissimo M. Bañes, qui ferè idem protulerat, juxta dictum à Cayetano 1. part. quæst. 22. art. 4. in resp. ad 1. in fine, sic:* Quomodo autem hoc salvo, divina salvetur Providentia, ac Prædestinatio: : Credere quod Sancta Mater Ecclesia credit; scriptum est enim: altiora te, nequæsieris, plura enim sunt tibi supra sensus hominum revelata; & hoc est unum de illis. *At reclamat P. Annatus disp. 1. cap. 6. §. 1.* Quod, sunt aliqui Auctores, qui cum non habeant usum scientiæ mediæ, velintque nihilo minus retinere prædefinitiones

Bañes. Cajet. Annatus.

ac-

actuum liberorum, huic difficultati succumbunt, ut videre est in Cayetano. *Libenter fateor omnes Thomistas succumbere huic difficultati, si, veritatem non demonstrare evidenter, sit succumbere. At forte recursus ad scientiam mediam, in cujus viis mille sunt angustiæ, solvit difficultatem?*

Respondeat Lesius in Disputatione Apologetica de gratia efficaci edita Lugduni 1651. *pag.* 512. *dicens*: Alij confugiunt ad præsidium præscientiæ conditionatæ; sed etiam ex hac, parum, vel nihil apparet solatij. *Et pag.* 552. *ait*: Non tollitur per præscientiam conditionatam, sed potius augetur (*difficultas*) quia subministrat modum occultè exequendi, & dissimulanter impediendi, ne quis non electus, in numerum salvandorum intret. *Iam P. Annatus ex testimonio sui Lesij, manet sine recursu, ut difficultatem vincat, & illi non succumbat. Certè Sancti Doctores succumbunt, inter quos D. Albertus Magnus* 1. *part. Summæ Tholog. tract.* 20. *quæst.* 79. *particula* 1. *pag.* 460. §. solutio, *ait ex doctrina Augustini*: Compescat se ergo humana temeritas, & id quod non est, non quærat, ne id quod est, non inveniat. *Et loquitur de progredientibus, ultra voluntatem Dei. Sic Thomas Vbaldensis famosus Doctor, lectorem monet lib.* 1. *doctrinalis fidei cap.* 26. *art.* 1. *in principio, de difficultate circa præscientiam Dei, & ait*: Postratus ergo, ego, inter cæteros Inquisitores, falli potero, sed novit Deus, errare non volens, imò cuncta faciens, ne aberrem. *Ideo S. Theresia à Iesu, quamvis circa alia puncta, suas docens moniales, in via perfectionis cap.* 17. *ait, de Domino*: Juizios son suyos, no ay que meternos en ellos.

237 *Lesius.* *Alb. Mag.* *S. Theresia.*

238 *Forsan fatebitur mysterij difficultatem P. Alarcon, si recogitet Magni Augustini ingenium in lib. de gratia Christi cap.* 47. *sic disserentis*: Ista quæstio, ubi de libero arbitrio voluntatis, & de Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. *Perpende, lector, sub favore P. Annati, Augustinum in illa esse difficultate, quia non habebat* usum scientiæ mediæ. *D. Augustinum secutus est D. Thom. qui Matth.* 11. *circa Conversionem Tyriorum v.* 21. *postquam retulit testimonia Augustini, dixit*: Unde quærere, quare istum elegit non illum, fatuum est quærere. Unde Augustinus, quare trahat hunc, & non illum, noli judicare, si non vis errare. Unde melius est, ut totum torqueatur ad ordinationem Dei, quam ad humana mærita. *Ideo Aug. lib de Spiritu, & littera cap.* 33. *ait*: Duo solum occurrunt, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Et: nunquid iniquitas apud Deum? Cui hæc responsio non placet, quærat Augustino doctiores; sed caveat, ne inveniat præsumptores.

August. *S. Thom.* *August.*

239 *Legatur iterum Augustinus de Prædest. Sanct. cap.* 14. *ubi de concordia libertatis, & gratiæ, ait esse* difficilem quæstionem. *Epist.* 1. *ad Valentinum vocat eam* paucis intelligibilem. *Et post hanc quæstionem tractatam lib.* 1. *ad Simplicianum quæst.* 2. *concludit*: Credamus tantum, &

si

ſi capere non valemus. *Lib. de peccat. meritis, & remiſſ. cap.* 18. *ait*: Ipſa ratio quemlibet noſtrum quærentem vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur; rurſus, ne liberum ſic efferamus arbitrium, ut ſuperva impietate ingrati Dei gratiæ videamur. *Lib.* 26. *contra Fauſtum cap.* 4. *ait*: Ideo neſcio, quia quid habeat hac de re voluntas Dei me latet; illud me tamen non latet, ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet. *Epiſt.* 194. (*aliàs* 105.) *ad Sixtum ait*: Scrutetur, qui poteſt judiciorum Dei tam magnum profundum, veruntamen caveat præcipitium. *Hoc eſt juxta Annatum*, difficultati ſuccumbere, *ſicque ſuccumbit Cayet. in comment. ad*

Cayet. *Rom.* 9. *circa infallibilitatem actus liberi, dicens*: Reſpondeo, me ſcire, quod verum vero non eſt contrarium, ſed neſcire hæc jungere, ſicut neſcio Myſterium Trinitatis. *Idem luculenter repetit* 1. *part. quæſt.* 22. *art.* 4. *ubi de prædeterminatione ait*: Cujus præterea Providentiæ concordia, cum libero arbitrio, ſuperat omnem intellectum, itaut magis fide credatur, quàm planè intelligi poſſit.

240 Belarminus. *Card. Belarminus tom.* 4. *de gratia, & libero arbitrio lib.* 4. *cap.* 14. *Cayetani memor, hæc habet; ex Aug. lib. de bono perſeverantiæ cap.* 14. Numquid negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? Sed quamvis res hæc ſit obſcura, atque abdita valde, ut Cayetanus rectè monuit, tamen conandum eſt, rebus etiam obſcuris aliquod lumen adferre, &c.

241 Suarius. *Pro quo, nobis P. Suarius liberaliter præbuit recurſum, apud illos etiam neceſſarium, dum lib.* 1. *de eſſentia Prædeſt. cap.* 7. *num.* 8. *dixit*: Quod, non intelligentes, qualiter futura conditionata contingentia ſint ſcibilia, prout antecedunt determinationem divinæ voluntatis, quieſcere debent confugientes ad infinitatem divinæ ſcientiæ. *Et tom.* 2. *Metaph. diſp.* 30. *ſect.* 15. *num.* 28. *ait*: Quamvis verum ſit, non poſſe nos exactè myſterium hoc intelligere, aut explicare, quoad modum ejus; nihilominus aliquam ejus rationem aſſignare poſſumus. *Et tom.* 1. *diſp.* 5. *ſect.* 9. *agens de determinatione cauſæ primæ, dixit*: Fatendum ergo eſt, vel hoc pendere ex ſola divina voluntate; vel ſi aliquam habet cauſam naturalem, nobis eſſe occultam. *Expreſſius tamen lib.* 3. *de concord. & auxilio efficaci cap.* 14. *edit. Moguntiæ* 1619. *pag.* 133. *hæc habet*: Unde habeat talis vocatio hanc efficacitatem, ut infallibiliter hominem trahat ad conſentiendum, Auguſtinus nunquam ſatis expreſsè declaravit, quia res eſt difficillima, & ab humanis ſenſibus remotiſſima. *Citatur in Decreto ab Archiep. Rhemenſi ubi ſupra. Legatur Aug. ad illud Pſal.* 93. Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt; *addens*: Relinquite ergo cogitationes hominum, quæ vanæ ſunt, ut comprehendatis cogitationes Dei, quæ ſapientes, & juſtæ ſunt.

242 P. Pereius. *Pater Pererius tom.* 6. *diſp. ſelect. ad illa verba ad Rom.* 9. ergo cujus vult, miſeretur, &c. *Poſtquam docet aſſerta noſtra, ait; quod illa conjunctio liberi arbitrij, cum infallibilitate Decreti*, videtur eſſe incomprehenſibile homini in hac vita. *Et loquitur juxta Auguſtinum, qui lib.*

1.

1. *contra duas epist. Pelag. cap.* 19. *ait*: Trahitur voluntas miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari. *Et lib.* 5. *Confess. cap.* 7. *ait*: Egisti mecum miris, & occultis modis. Tu illud egisti Deus meus. *Vide cap.* 8.

Pater Valencia 1. *part. quæst.* 14. *disp.* 1. *puncto* 5. §. 3. *concludit*: 243
Utrum hodie propositio de cras futuro sit determinate vera secundum *Valencia.*
se, an falsa, Deus solus certò novit, non nos; sed tamen, nihil impedit, quominus propositio verè habeat in se hodie determinationem, quam nos hodie certò non sciamus. *P. Vazquez disp.* 65. *cap.* 2. *num.* 12. *ait*: Respondeo, sine dubio, non posse circulum in hac re evitari, est enim difficilima; sed de hac re latius disp. 80. *Vbi cap.* 2. *ait*: Nodus hic mea sententia insolubilis est; vix enim vitare possumus circulum in reddenda ratione. *Et ibi loquitur de veritate determinata futuri contingentis.*

P. Aranda disp. 26. *sect.* 4. §. 2. *num.* 158. *agens de determinativo* 244
scientiæ mediæ; *ait*: In quo, nota, nos assuetos nostris objectis, & limi- *Aranda.*
tationi nostræ intelligentiæ plerumque discurrere velle de divinis cum magno præjudicio veritatis. *Sic sunt, qui de motione efficaci Dei, quasi de motione creaturæ volunt loqui. Legatur item P. Ruiz de Montoya qui disp.* 59. *sect.* 2. *à num.* 1. *dat locum inquisitioni veritatis, & per totam suadet, non esse inscrutabilem rationem concordiæ libertatis cum libero arbitrio; sed hoc est vagari per opiniones.*

Ruardus Tapperus de lib. arb. art. 7. *pag.* 217. *ait*: Difficillimum *Taperus.*
est intelligere, quod Deus operetur ipsum velle, utens voluntate, tanquam instrumento, ipsam applicans ad opus, &c. *Et post solutionem ait*: Illustrari potest hæc obscuritas si consideremus Deum operari in unaquaque creatura secundum ejus conditionem, & naturam, & propterea agentia libera, ut instrumenta movere, atque adopus applicare, itaut liberè, & contingenter ipsa operentur. *Id ipsum tractat ipse Ruardus Tapperus de libero arbitrio art.* 7. *pag mihi* 220. *ubi ait*: Hæc 245
certè quæstio inquirit occultissima divinæ sapientiæ judicia, & ejus *Ruardus.*
quærit rationem, quod ab hominis intellectu est impenetrabile. *Deni-*
que Auctor libri de imitatione Christi lib. 4. *cap. ult. ait*: Qui scrutator *Anonim.*
est Majestatis, oprimetur à gloria. Plus valet Deus operari, quam homo intelligere potest. Tolerabilis, pia, & humilis inquisitio veritatis, parata semper doceri, & per sanas Patrum sententias studens ambulare: Si non intelligis, nec capis, quæ infra te sunt, quomodo comprehendes quæ supra te sunt?

Hinc potest lector meditari, qualiter Thomistæ defendant efficaciam 246
gratiæ, & voluntatis motæ libertatem, ex D. Thoma, in mille locis, *D. Thomas.*
sed expressissimè in comment. ad Rom. 9. *ad illa verba*: Igitur non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. *Vbi hæc habet*: Non est volentis, scilicet velle, neque currentis, scilicet, currere, sed utrumque est miserentis Dei, secundum illud 1. ad Cor. 15. Non ego, sed gratia Dei mecum. Et Joan. 15. sine me nihil potestis facere.

X Sed

Sed si hoc solum in hoc verbo intellexisset Apostolus; cum etiam gratia sine libero arbitrio hominis non velit, neque currat, potuisset è converso dicere: non est miserentis Dei, sed volentis, & currentis, quod aures piæ non ferunt. Unde plus aliquid est ex his verbis intelligendum, ut scilicet principalitas gratiæ Dei attribuatur: *Statim sibi objicit arg. quo utuntur contrarij, sic*: Sed si non est volentis, velle; neque currentis currere, sed Dei moventis ad hoc hominem, videtur quod homo non sit Dominus sui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrij. *Et* ℞. *D. Thomas.* Et ideo dicendum est, quod Deus omnia movet, sed diversimodè, in quantum scilicet unumquodque movetur à Deo, secundum modum naturæ suæ, & sic homo movetur à Deo ad volendum, & currendum per modum liberæ voluntatis. Sic ergo velle, & currere est hominis, ut liberè agentis, non autem est hominis ut principaliter moventis, sed Dei.

247 *At, si reclamant contrarij, quod omnis suppositio antecedens divinæ voluntatis tollit libertatem creatam, legant D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 8. ubi sibi hoc objecit.* Videtur quod voluntas Dei rebus volitis necessitatem imponat, quia omnis causa quæ non potest impediri ex necessitate suum effectum producit, &c. ℞. ad 2. dicendum, quod ex hoc ipso quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur, quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessariò, quæ sic fieri vult. *Vide ibi ad 3.*

248 *Insignis est locus ex 1. 2. quæst. 10. art. 4. per totum; ubi in arg. sed contra proponit fundamentum Adversariorum ex Ecclesi. 15. per illa verba:* Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. *Et cum sibi objecisset:* Omne agens cui resisti non potest, ex necessitate movet; sed Deo, cum sit infinitæ virtutis resisti non potest: ergo Deus ex necessitate movet voluntatem. ℞. ad 1. ergo dicendum, quod voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut, etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius. Et ideo magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quam si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ. *Hinc Thomistæ deducunt voluntatem divinam non modo non tollere, sed imò perficere, & causare libertatem voluntatis.*

D. Thom.

249 *Pater Valencia 1. part. disp. 1. quæst. 14. puncto 5. §. 3. Utitur auctoritate Anselmi lib. de Concordia Præscientiæ, & liberi arbitrij, dicentis:* Præscit me Deus peccaturum, vel non peccaturum; sed præscit me Deus peccaturum sine necessitate, vel non peccaturum, & ita sequitur, quod si peccaveris, sive non peccaveris, utrumque sine necessitate erit. *Sic Suarius Prolog. 1. de arbitrij libertate cap. 6. num. 2. ait*: Præscientia divina, Prædestinatio, & voluntas Dei, ex necessitate inferunt effectum liberum præscitum, prædestinatum, aut absolutè à Deo volitum; itaut, impossibile sit effectum sic præscitum, aut prædestinatum non evenire; & tamen illa suppositio non obstat, quominus actus præscitus libe-

Valencia.

Suarius.

liberè fiat. Imò ex illa suppositione æquè infertur liberè futurum esse, ac futurum esse, quia præscitum est, ac prædestinatum est liberè fieri; ideoque ad veritatem scientiæ, & efficatiam Prædestinationis, non minus necessarium est, ut liberè fiat, quam ut fiat; quæ est doctrina Anselmi lib. de Concordia cap. 1. & 2. in principio; & vulgaris apud D. Thomam 1. part. quæst. 19. art. 8. *Hæc Suarius pro Thomistis loquens.*

250 *Henricus.* *Henricus Henriquez in lib. de fine hominis cap. 6. apud Macedo ibi diff. 2. in fine pag.360. ait:* Objiciunt quidam: si causa efficax, & suppositio ex qua infallibiliter sequitur effectus est jam posita in actu, nec ea est, aut unquam fuit in libertate mea, qui fieri potest, ut effectus, & actus sic à Deo prædefinitus antecedente voluntate, & mandandus executioni cum efficaci auxilio præveniente, maneat nunc in libertate nostræ voluntatis? Quibus respondetur, primò; antecedens esse causam rei, non utcumque, sed rei, cum suo libero modo, atque ita infert effectum liberum; alioqui Deus non assequeretur modum, quem sua providentia, & suavi motione intendit, nempe, ut effectus in exercitio liberè fiat per causam proximam. *Ideo Macedo collat.* 11. *diff.* 1. *sect.* 5. §. 1. *pag.* 397. *subjungit: Henricus* respondet uti germanus Thomista. *Et hac ratione Henao, non valens sensum Thomisticum Henrici obscurare, dixit:* Una hirundo non facit ver. *Sed nos plures hirundines demonstramus volantes.* *Macedo.*

251 *Durandus.* *Durandus Thomisticæ doctrinæ non alligatus, in* 1. *dist.* 38. *quæst.*3. *ad arg.* ℞. Quod scitum est necessariò evenire, necessariò eveniet, & quod scitum est evenire contingenter, eveniet contingenter, alioquin scientia Dei falleretur, quæ non solùm est de eventu rerum, sed etiam de modo eventus. *Imò Concil. Cartaginense nobis favet, Patres enim congregati contra Pelagium, Innocentio I. Pontifici litteras direxerunt, in quibus, hæc habent:* Id enim isti (*id est Pelagiani*) agunt damnabilibus disputationibus suis; ut non defendendo, sed potius in sacrilegâ super viam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, (*nota hæc verba*) qua, & ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum. *Quam doctrinam explicat D. Thom.* 3. *contra Gentes cap.* 94. *sic:* Cum sermo fit de divina providentia, ita est dicendum: Deus hoc prævidit necessariò futurum: ergo necessariò erit, sicut Deus prævidit. Et hoc aliud prævidit liberè futurum: ergo liberè erit sicut Deus prævidit. *Concil. Cartagin.*

252 *Schola Scotica.* *Adjuvat, & roborat hanc doctrinam Schola Scotica, satis communiter, ut ait Macedo tom.* 1. *collat.* 10. *differ.* 1. *Vbi refutans decreta concomitantia, quæ admittit Mastrius contra mentem Scoti, dicit, decreta antecedentia non tollere libertatem*, quia voluntas divina ab æterno decrevit ita præmovere voluntatem, ut eà sequeretur decretum, liberè correspondendo divinæ voluntati. Nec enim Decretum Divinum antecedens voluntatem tollit ex ea nativam libertatem, imò conservat eandem, retinendo quod proprium est creaturæ, qualis est libertas. Et hæc est germana Scoti sentētia, quam ei attribuunt non solum antiqui

Sco-

Scotistæ, sed aliarum etiam Scholarum Auctores,&c. *Postea docens decretum antecedens esse efficax, subjungit.* Et in hac parte Scotus consentit D. Thomæ. *Sic ibi sect. 6. pag. 348. sed pag. 361. notat Mastrium reduci ad Scotum, admittendo decreta antecedentia sine lesione libertatis.*

253 P. Pererius. *Punctum coronandum volui doctrina Thomistica, P. Pererij calamo firmata. Ille ergo in lib. 8. Phys. postquam statuerat præmotionem, & sibi objecerat argumenta, respondet in cap. 9. ad 3. pag. 466. Lugduni 1585.* Licet voluntas nostra, nihil operetur, nisi mota, & determinata à Deo, quia tamen movetur à Deo convenienter naturæ suæ, & ut suapte natura apta est moveri, hoc est, non necessario, sed liberè, ideo verè dicitur, verèque est libera. Si enim voluntas ita moveretur à Deo, ut ipsa se nullo modo moveret, & ad agendum determinaret, omnis profecto mæriti, & demeriti, & libertatis ratio funditus tolleretur. Sed, quia Deus eam sic movet, ut ipsa nihilominus simul etiam se ipsam moveat, & per suam deliberationem se determinet ad agendum hoc, vel aliud quidpiam, ob eam causam meritò appellatur libera,& verè est libera. Non enim intelligendum est, voluntatem esse liberam omnino, itaut anullo pendeat, nullique subjiciatur; hac enim libertate, solum Deum liberum esse agnoscimus, quippè qui sit omnium liber, à nullo dependens, nullius indigens, nulli subjectus, per se sufficiens sibi ad omnia. Hæc autem libertas in nullam creaturam potest convenire; ratio enim cujusvis creaturæ, necessariam, & inseparabilem continet dependentiam ejus à creatore, tàm in existentia, quàm in omni operatione: ergo libertas nostræ voluntatis ea est, quæ potest competere creaturæ, nempe, quæ separat, & distinguit voluntatem ab agente naturali. *Lege ibi.*

PVNCTVM XVIII.

254 *OSTENDITVR CANONEM 4. SESS. 6. CONCILII Tridentini esse in favorem Thomistarum, contra quos objicitur.*

OBIECTIO.

Innumera Calvini, & Asseclarum testimonia, suum de Prædefinitionibus errorem traddentium, tuentiumque, adeo terminis Thomistarum, pro suis prædefinitionibus explicandis, ac tuendis consona sunt, ut mirùm sit Catholicos Patres, (*id est Dominicanos*) certè animo, forsan, & sententia, adeo voce saltem tenus, illorum erroribus convenire. *Ita Pater Ortega controv. 3. disp. 1. quæst. 3. certam. 5. num. 1. Ipse, post recitatam hanc hæreticam propositionem:* Omnia de necessitate absoluta eveniunt; *subjungit:* Hanc eandem esse suam fatentur Thomistæ.

RES-

RESPONSIO.

HVic Auctori, potius animum nostrum, quam suam mentem exercitanti, adjungitur P. Aranda, qui lib. 13. disp. 64. sect. 3. num. 113. hæc habet: Hæretici fatentur se nihil aliud in re dicere, quam quod Thomistæ defendunt de libero arbitrio, & efficatia gratiæ. Ita Molinæus Calvinista, & Amesius etiam Calvinista, qui tom. 4. Belarmini enervati lib. 3. cap. 3. num. 7. postquam ex Alvarez Prædeterminantium Principe, recitasset Thomisticam doctrinam, subdit: hæc sententia sic explicata est nostra. Et lib. 4. cap. 3. num. 1. repetit idem. Et lib. 2. cap. 2. num. 5. sic ait: Sensus nostrorum non est alius, quam qui à Thomistis appobatur. Idque testantur alij sectarij communiter. *Hæc Aranda respectivè ad canonem prædictum. Sed quàm futiliter, agnoscet lector ex dictis num. 221. Si enim de Calvino intelligas, negamus, si de Calvinistis à Calvino in hac parte recedentibus, libenter fatemur; etiam hæretici admittunt sicut Catholici plura mysteria nostræ fidei. Sed quid ex hoc adversus Catholicos?* 255

At, quia totum illud à contrarijs objectum, in illo Canone Tridentino fundari, recantant, advertat lector, Canonem illum statutum esse contra Calvinum, deducentem, ex efficatia gratiæ tolli libertatem; quam doctrinam secutus est Iansenius, & novissimè Quesnellius, asserentes, omnem gratiam esse talem, quod non relinquat potestatem dissentiendi. Quod, utique longe est à sententia Thomistarum, ut circa libertatis punctum, & alia, vidimus supra. Monendus est etiam lector, ex lib. 8. Hist. Concil. Trident. cap. 13. à Cardinali Palavicino Societatis Iesu, luculenter adaptato referri, quod P. Didacus Lainez, S. Ignatij successor, restitit expressioni illius Canonis, volens, quod non legeretur: Liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum; *sed sic*: Hominem posse dissentire communi vocationi. *Vel sic*: Mentem humanam. *Quod autem Palavicinus silentio compressit, explicatur in Actis, quæ in Arce S. Angeli Romæ asservantur, inquibus, circa Sessionem 6. pag. 133. dicitur, quod Theologis Societatis displicuit Canon ille; & P. Didacus Lainez, dixit*: Non placet, quod dicatur, liberum arbitrium à Deo motum; & excitatum; sed mens mota, & excitata ponatur. *Sed Patribus Concilij valde displicuit P. Lainez dictum. Quod fatetur noster Ambrosius Catherinus, à contrarijs valdè magnificatus, in Apologia adversus Dominicum Soto, ubi fatetur se ad hæsisse sententiæ P. Didaci Lainez. Totum hoc evenit anno 1547. mense Ianuario. Vt quid ergo Theologi Societatis tali Canoni repugnabant, nisi quia illis videbatur, motionem illam esse efficacem? Et tamen ipse Catharinus in cap. 8. epist. ad Rom. dicit*: Vocationem efficacem cui nullus unquam resistit, imò cui non potest resisti, certitudinem luminis, & adjunctum robur fortitudinis; imò, & prædeterminationem. 256

P. Lainez. **Cathar.**

Siste lector, & nota, quod nec Calvinus, nec alij unquam somniarunt motionem moralem tollere libertatem; si ergo Canon iste (ut apud omnes Theologos est certum) constitutus est contra doctrinam Calvini, signum evi- 257

dens est, ibi fieri mentionem de motione physicâ, & per se efficaci; aliàs inutilis esset ad damnandam Calvini doctrinam. Deinde: si PP. Concilij Tridentini non habebant usum scientiæ mediæ, nec ejus nomen ibi insonuit, quomodo concordiam liberi arbitrij cum gratia, potuerunt exponere. At respondet Henao event. 5. num. 405. sic: Respondeo Tridentinam Synodum suppofuisse scientiam mediam, sine hac enim stare non possunt, quæ decrevit in verbis supra exaratis. *Bella solutio! omnes, enim, Theologi Iesuitæ, vel Inventorem scientiæ mediæ, vel saltim illustratorem Molinam suum proclamant, qui eam à tenebris, inquibus diu latuerat, in lucem eruit. Si ergo PP. Tridentini illam non cognoverunt, quomodo illa sunt usi? Si illa usi sunt, vel illam supposuerunt, quomodo tot Patres Doctissimi, post paucos annos, & qui mortalem vitam agebant, dum Molina scripsit, adversus ejus Doctrinam insurrexerunt, ut in orbe litterario novam? Vide dicta num. 75. ex pluribus Scotistis, qui Synodo Tridentinæ interfuerunt. Vide num. 105. ubi Fonseca fatetur tunc in Scholis defendi motionem physicam; & a se excogitatam scientiam mediam, à nullo* apertè *fuisse traditam.*

258 *Affinis est Canoni Tridentino, Canon Senonensis, seu Decretum 15. quod sic se habet:* Tale non est Dei trahentis auxilium cui resisti non possit. *Et similiter propositio damnata ab Innoc. X. contra Iansenium dicentem:* Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Sed quia plura diximus in puncto de Iansenismo imposito Scholæ Thomisticæ; satis pro nunc sit, dicere, quod, diebus nostris, Cæsaraugustæ accidit, ob Senonense Decretum malè ab aliquibus intellectum. Cum enim in quodam Collegio Cæsaraugustano, una ex Thesibus Theologicis sic fuisset publicæ luci data:* Cum Concilium Senonense contra Calvinum, & Tridentinum contra eundem, & Lutherum, gratiam (non aliam, nisi ab intrinseco efficacem) damnaverit, &c. *Illa Thesis damnata fuit à Sanctæ Inquisitionis Tribunali,* ut temeraria, injuriosa, D. Augustino, & Thomæ; & falsè imposita Concilijs Senonensi, & Tridentino, &c. *die 2. Martij 1725. & ex vi præcepti, coacti sunt Præses, & ejus discipulus, in eodem loco, assistente S. Tribunalis Ministro, & alijs, palinodiam cantare. Ex quo satis infertur, gratiam ab intrinseco efficacem esse ex mente Tridentini, Senonensis, D. Augustini, & Thomæ. Ideo Cathecismus Concilij Tridentini, jussu S. Pij V. editus, & cujus auctoritas in novissima editione roboratur, ad 1. articulum Symboli, hæc habet:* Deus, universa quæ moventur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, & actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, præveniat tamen.

Concil. Senonense.

Cathecismus Tridentini.

259 *In hoc puncto exponenda est propositio, seu Thesis Toletana, in publica lectione exposita, & defensata à D. Emmanuele Muñoz, die 27. Februarij 1731. Quæ hujusmodi erat:* Auxilia gratiæ ab intrinseco efficacia, cum omnibus prædicatis, quibus à Sapientissimis, & Nobilissimis Thomistis communiter defenduntur, cum libertate non cohærent; & licet suam doctrinam in hoc puncto laudabiliter, & pio studio ex Sanctis Doctoribus,

Muñoz.

bus Augustino, & Thoma hauserint, prædictis Sanctis Doctoribus minimè cohæret. *Hæc Thesis, quia visa est plurimis artifitiose adaptata, & litteris in forma Brevis à Benedicto XIII. directis suis Fratribus Prædicatoribus, & Scholæ Thomisticæ, satis contradicens, non sine strepitu, animos conturvavit.*

Auxit Toleti contentionem quidam Doctor Salvator Collados, pro suo Doctore Muñoz, Publicus Apologista, prolixum codicem ornans, Doctorum subscriptionibus approbatum, de quo, aliquid diximus supra. Professor, igitur Scholæ Iesuiticæ, non est locutus de gratia per se; & ab intrinseco efficaci, *nudè accepta, sed de auxilijs gratiæ efficacis*, cum omnibus prædicatis, *quibus communiter à Thomistis defenditur, alijs sic, alijs sic eam explicantibus. Fateatur, ergo,* gratiam per se, & ab intrinseco efficacem *esse ex mente Augustini, & Thomæ, & à Pontifice collaudatam, & illa prædicata, quibus à pluribus Thomistis defenditur, ipsius relinquamus arbitrio, ut neget esse qualitatem, vel aliquid hujusmodi, qualiter diseruimus, sub exemplo realis præsentiæ Christi in Eucharistia, num.* 67. 260 Collados.

Attamen, notabile est, quod supponat ille Doctor, Thomistas hausisse *talem doctrinam* laudabiliter, & pio studio, *ex S. Doctoribus Augustino, & Thoma; & subjungat, talem doctrinam Augustino, & Thomæ* non cohærere, *quasi posset homo in re haurire aquam ex puteo, quæ non esset ex ipso puteo extracta. Dixisset, Thomistas cogitantes, vel opinantes illam doctrinam* hausisse *ex Augustino, & Thoma; & tunc poterat defendere, in hoc esse deceptos, quia in re talis doctrina prædictis Sanctis Doctoribus* minimè, *cohæret. Hoc enim non repugnat ex terminis; sed, quod illam hauserint ex D. Augustino, & Thoma, & quod non cohæreat Augustino, & Thomæ, inintelligibile est.* 261

Sed quia M. Fr. Marcus del Pozo usque ad Sacietatem, prædictum Codicem D. Collados refutavit, non opus est in hoc amplius immorari. Legat Muñoz Sacram Scripturam, & videat an ly, minimè, *quod pluriès scribitur, possit exponi per ly* probabiliter, *in quo effugium excogitavit: Imò D. Gregorius hom.* 10. *in Evang. qua utitur Ecclesia in Epiphania Domini, scripsit:* Et tamen hunc, quem Dominum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infideliumJudæorum corda Deum esse, minimè cognoscunt. *Et hom.* 22. Nunquid tàm subtilis Evangelistæ descriptio à mysterijs vacare credenda est? Minimè. *Vide, si ly* minimè, *admittit glossam de ly* probabiliter. *Sic D. Chrysost. hom.* 39. *in Matth. qua utitur Ecclesia ad illa verba Matth.* 11. Quia abscondisti hæc à sapientibus, &c. *ait:* An igitur perditione illorum gaudere ipsum, dicemus; & quoniam illi hoc non didicere? Minimè. *Id est*: nullatenus. nullo modo. absit. *Sed magis ad rem legendus est P. Mutius Vitellescus, Præpositus Generalis Soc. in epist.* 2. *transmissoria data* 4. *Ianuarij* 1617. (*apud Genetum tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *quæst.* 5. *ubi prohibens opiniones laxas, ait:* Omni itaque studio proficiant, ut qui docent, scribuntve, minimè hac regula, & norma, in delectu sententiarum utantur: Tueri quis potest; probabilis est; Auctore non caret, &c. *Meditarè, quid sibi vult ly* minimè *in sensu P.* 262 Pozo. P. Mutius.

Mutij.

Mutij. Demùm, ut appareat qualiter Adversarij opera D. Thomæ contrectent, legendus est Codex secundus D. Collados respondentis, M. Pozo; & Vicario de Parla, in præfatione; ubi ait: Y esto, el Angelico Doctor en su Catena Aurea, sobre el cap.1. de S. Juan, en la lect.7. lo dà à entender. *Cum tamen D. Thomas, nunquam distinxerit lectiones in Catena Aurea, sed in commentario proprio in Ioannem: ubi scribit ex propria mente. Quæ commentaria sunt valde diversa.*

263 *Denique, quia Adversarij, sicut citant pro se omnes Thomistas impugnantes qualitatem, quasi negarent præmotionem, ita quoslibet liberum arbitrium defendentes, Inimicos præmotionis recantant, adjutorium præbet P. Henao event. 28. num. 694. dicens:* Ast, ego vellem scire, quinam Thomistæ concedant prædeterminationes necessitantes, seu alias, quam illas, cum quibus liberum arbitrium creatum, non adimplebit necessariò, sed liberè, & infallibiliter divina præcepta: v. gr. Thomistæ, utpotè selectissima Catholicorum acies, non invehunt Prædeterminationes, quas agnoscant violatrices libertatis creatæ; etsi tanquam ab absurdo soleant exinde nostri argumentari contra illos.

Henao.

264 *Denique, pro Decretis Tridentini, usurpamus verba P. Suarij tom. Opusculorum Theologicorum, edito Matriti 1599. lib. 2. de scientia futurorum conditionatorum cap. 4. num. 5. pag. 349. dicentis:* Infallibilis consecutio effectus ex vocatione efficaci intelligi non potest, nisi aut ex physica efficatia, aut ex mera scientia: : : illa autem scientia, non est alia, nisi hæc conditionata, &c. *Scilicet* media, *quam ibi propugnat, sed Theologi Tridentini non agnoscebant scientiam mediam: ergo agnoscebant efficaciam physicam gratiæ. Scio D. Collados in 2. Codice Apologetico pag. 2. scribere:* Luego que se expidiò el Breve Pontificio, los Professores Thomistas lo imprimieron, traducido en Castellano, y repartieron igualmente; *in qua propositione tot sunt, mendatia, quot verba. Editio fuit Cæsaraugustæ. Typographus autem satis notus, qui cum pro illa septimana, quo venales carthulas novitatum repleret, caruisset, sollicitus fuit de translatione Brevis ad vulgare idioma, ut solitum perciperet lucrum, & hæc quidem publica translatio, Dominicanis displicuit. Ideo autem noluit editionem D. Collados exprimere, ut mendatium non posset impugnari. Si velit testimonium, abundanter poterit exhiberi.*

Suarius.

PVN-

PVNCTVM XIX.

OSTENDITVR VANITAS OBIECTIONVM, QVAS ex gravi testimonio Academiarum congerunt Adversarij. 265

OBIECTIO.

Ex Academijs sunt septem plenè subscribentes scientiæ mediæ. *Ita P. Aranda lib.* 5. *num.* 117. *Quem & P. Marin subsequens Recentior Iesuita, in suo Codice, dixit, quod nostri, contra scientiam mediam nullam potuerunt allegare Academiam in Germania, Gallia, Lotharingia, & Italia,* sed quamplurimæ pro Societatis sententia, judicia, & censuras suas ad Pontificem misserunt, Moguntina, Hervipolensis, Ingolstadiensis, Dilingana, Viennensis, Genuensis, & Trevirensis; in Lotharingia Mussipontana, & in Italia Bononiensis. *Pro quo citavit suum Eleutherium lib.* 2. *hist. cap.* 16. Academia.

RESPONSIO.

Monendus est lector triplici Decreto Philippi II. Hispaniarum Regis, quorum primum directum est Matriti 28. *Decembris* 1594. *Archiduci Ernesto, apud Belgas Præfecto; secundum, in Pardo* 1. *Novembris* 1594. *Archiduci Cardinali Alberto; tertium* 12. *Iunij* 1596. *Toleti, directum eidem Alberto; quibus Rex promovet lectiones Scholasticas S. Thomæ, Duaci, & Lovanij. Item monendus est lector de Academijs Moguntina, & Treverensi, quæ traddite Patribus Iesuitis, sunt propria Gymnasia Societatis, vim testimonij quoadrem non habentia, qualiter nec in favorem nostrum exponerentur Collegia Dertusense in Cathalonia, & Oriolanum in Regno Valentiæ, eo quod sunt Academiæ tradditæ Dominicanis.* 266 Philip. II.

At reclamavit Recentior sic: Libera, falsa, & frivola evasio, ne dicam, non leve ignorantiæ signum. Quo enim pacto Academiæ, illæ, in quibus omnibus, Doctores Sæculares, & Religiosi plurium ordinum inveniuntur Professores, comparentur Academiæ Dertusensi, in qua solùm reperiuntur Dominicani Professores? *Sed fortè ignorat Adversarius Academiam Dertusensem fundatam esse auctoritate Pontificia, & Regia, & in illa diversorum Ordinum Religiosos, & Sacerdotes Sæculares, Theologiæ Lauream acquisisse, antequam Rex pluresCathalauniæ Academias de medio tolleret. Si autem subscriptio, in favorem scientiæ mediæ, ad solos pertinebat Theologos, quæ disparitas est, dum in præfatis Academijs, Moguntina, scilicet, & Treverensi, ferè omnes subscripti sunt PP. Societatis. At accipe Oriolanum Collegium nostrum, Iulij* 3. *Pontificis auctoritate in Academiam erectum, & ornatum privilegijs, quæ deinceps S. Pius V. confirmavit, & auxit, itaut, in illo: possent laurea Doctoratus decorari* non solum in Theologia, sed & in Artibus, & Medicina, & jure Canonico, & qualibet alia licita facultate, quam ipsi studentes scrutati fuerint, in eodem 267 Collegia.

Collegio, vel extra. *Ibique concedit Laureatis, Salmanticæ, Compluti, Vallisoleti,&c. Privilegia 29. Iulij 1568. quæ ulterius confirmavit 22. Septembris anni 1569. Pro Theologis subscriptis, tempore controversiæ, ad Arcem S. Angeli mittimus lectorem.*

268 *Hinc patet melius rem expressisse P. Aranda disp. 11. sect. 3. sic: Contra Prædeterminationem sunt*, Academiæ viginti duæ, sub regimine Societatis. *Quarum Academiarum tunc subscriptores, absque signo anteposito* Patris, vel Fratris, *apparent extranei, cum tamen sint Iesuitæ. Consideret igitur æqus lector, disparitatem nostri testimonij, pro tunc, & nunc, Academijs Salmanticensi, Duacensi, Lovaniensi, & Parisiensi innixi; & alijs de quibus fiet mentio. At, circa Lovaniensem scito, quod P. Honoratus Fabri, in suo Apologetico, doctrinæ moralis Societatis, impresso Lugduni*

Alex. VII. *pag. 141. dicit, Alex. VII. dixisse P. Francisco Vanderche, nunquam se Brebe illud privatum vidisse, quo, ut nostri asserebant, commendaverat facultati Lovaniensi, sequi tutissima dogmata Augustini, & Thomæ; cum tamen ipse Alexander VII. illud tradiderit in manus P. Christiani Lupi, Ord. S. Augustini. Et mirum esset, quod non coegissent Adversarij ipsum Alexandrum VII ad declarationem, cum tamen supervixerit aliquot annis publicationi illius diplomatis. Noluerunt loqui vivum, & volunt loqui jam mortuum.*

269 *Non me latet Adversarios, contra nos objicere Academiam Parisien-*

Rosa. *sem, ex vi testimonij recantati D. Antonij Rosa, Sylvanectensis Episcopi, suas litteras dirigentis Clem. VIII. in quibus asserit, Sorbonam esse pro Molina*, & physicam prædeterminationem, ceu hæresim, proscripsisse; *& 35. Doctores adhæsisse Societati. Audias, præcor. Hic Episcopus apud Thuanum in sua Historia lib. 98. appellatur vir Turbulentus, & Lutetiæ bello agitatæ civili, Rebellium Dux, & quia erat Societati addictus scripsit, ne Clemens VIII. quod conceperat, definiret. Cum autem Clemens VIII. hoc ægrè ferret, præcepit, quod Doctor Crellius, & Bosutius Doctores Sorbonici, die 5. Decembris, rei veritatem exquirerent à Doctissimo Duballio, cujus responsio data Parisijs die 20. Ianuarij 1602. de Gallico in Latinum fideliter translata, hæc erat.*

270 Ægrè fero quempiam Romæ commorantem effutijsse Academiam nostram aliquid in Molinæ gratiam decernere voluisse, hoc enim falsum est, &c. Æquè verò falsum est, quod idem retulit, triginta quinque viros, qui eandem cum ipso licentiam decurrerent Molinæ opinionibus assentiri. Nullus enim illorum fuit, qui, aut non defenderit prædeterminationem, cum S. Augustino, & Thoma, aut, qui saltim ei contradixerit,&c Providebimus verò per Syndicum nostrum, ne interim, ullus ex Baccalaureis nostris, quidquam de Molinæ opinionibus suis in Thesibus defendat, Parisijs die 20. Januarij 1602. An-

Duballius. dræas Duballius. *De quo P. Brietus Iesuita ad annum 1612. ait:* Doctissimus, juxta, atque Sapientissimus facultatis Parisiensis Theologus, cui semper parem Academia illa nobilis exoptabit. *Post hæc autem, quid senserit Duballius, & qualiter scripserit, alij judicent. Epistola igitur Antonij*

tonij infringitur rescripto Duballij, qui ibidem ait: Ego semper Prædeterminationem admissi, utpote sua jura Deo optimo tribuentem, nihilque homini detrahentem, ejusque libero arbitrio, quo cum bellè cohæret, judicio meo.

Hæc circa Academias prælibata sunt, quatenus approbatio, vel impugnatio scientiæ mediæ, à Molina suscitatæ, innotescat. Nunc autem, fatemur, in plurimis Gymnasijs scientiam mediam insonare, quatenus plures sunt Doctores Scholæ Iesuiticæ addicti. At quis neget Academiam Parisiensem Thomæ Magistram, & Discipulam, de illo protulisse, esse ejus speculum clarissimum? *Lovaniensis, in reverentium D. Thomæ statuit, ut omnes ejus Alumni ad prolatum D. Thomæ nomen, nudato capite, & inclinato, sese ostendant. Quare Caramuel tom 2. Theolog.* Regul. *epist.* 4. *ait:* Lovanienses sunt Thomistæ. *Duacensis D. Thomæ statuam erexit, cum hac inscriptione:* Sancto Thomæ Aquinati Patrono Academiæ Duacensis. *Tholosa jussu Vrbani V. Doctrinam D. Thomæ est amplexa; similiterque Burdigalensis, D. Thomæ est adstricta. Avenionensis, duplici Cathedra D. Thomæ promovet sententias. Patavina quasi Patrono suo, quot annis Laudatoriè parentat, in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, quò conveniunt viri infulati, audientes, quam unus ex illis Orationem Laudatoriam habet.* 271 **Academiæ.**

Nobile testimonium exhibuit liber ille studiorum, *quem novimus secundum, anno* 1590. *editum, pro tota Societate, in cujus præfatione hæc leguntur:* Visum nobis est statuere, ut nostri in Theologica facultate sequantur S. Thomæ doctrinam, quam, & nostræ commendant Constitutiones, & Academiæ penè omnes, ut maximè tutam receperunt. *At, si forte dicas, hoc non esse idem quod intendimus, scilicet esse pro nobis, & contra scientiam mediam, te monitum, lector, velim, quod Academiæ Lovaniensis, & Duacensis, inter plures, famosæ, statim contra P. Lesium, & Molinam insurrexerunt, cum omnium Theologorum subscriptione, quam protulit Henricus Gravius, postea Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus die 9. Septembris* 1587. *cujus varia transumpta missa sunt die* 20. *ipsius mensis ad Belgij Antistites, & ad Academias Duacensem, & Parisiensem. Imò anno* 1588. *impensis Lovaniensis Academiæ, specialis Cathedra fuit instituta ad confutandam Lesij doctrinam. Legatur Orlandinus scriptor Societatis in Imagine primi sæculi lib.* 6. *cap.* 4. *pag.* 848. 272 **Liber stud.**

Ne autem detur locus dubitandi circa Academiam Parisiensem, quam Societatis Doctores pleno ore, & lato calamo, pro se tradunt; constat ex illa scriptura Lovaniensi, & Duacensi, in qua fit mentio de Parisiensi Academia, ut contradicente Molinæ; licet non eadem sollicitudine, quia tunc Lutetia Parisiorum intestinis discindebatur dissidijs, & erat undique septa, unde propria tractans vulnera, non curabat aliena. At ipsa Academia circa annum 1347. *jam damnaverat hanc propositionem:* Aliquis prædestinatus est ab æterno propter usum liberi arbitrij, quem Deus præscivit eum habiturum. *Vt est ad calcem Mag. Sentent. in editione* 1550. 273 **Parif.**

Denique M. Fr. Bartolomæus de los Rios, Augustinianus, de quo infra 274

num.

Mag. de los Rios. *num.* 284. *in suis litteris, ut Academias D. Thomæ addictas numeraret, scripsit*: Quis nescit in Gallia Universitatem Parisiensem S. Thomæ doctrinam profiteri? Tholosanam, etiam Sacramento ad eam tuendam se adstringere. Quis nescit eam in omnibus partium Septemtrionalium Academijs florere? Lovaniensis D. Thomam, secundum, post S. Augustinum, Magistrum habet. Duacena illum sequitur. In Coloniensi omnes in ejus sententiam jurant; jam verò rerum sit ignorantissimus, qui nesciat eam in omnibus Italiæ Universitatibus teneri. Neapolitanos D. Thomam, & pro Scholarum Magistro, & pro Patriæ Patrono, ac præcipuo ornamento venerari. Ut paucis absolvam, S. Thomæ doctrinam, omnes Europæ Academiæ amplectuntur, & venerantur. Quo mihi spes certa nascitur, omnem dæmonum vim, atque artes, nihil adversus eam valituras. *Sic ille primus diffinitor Castellæ, Regius Concionator, pro suis Provincijs agens, & scribens Fr. Thomæ Figuerola, Provinciali, in hac re tepido, utpote ab Adversarijs circumvento; in sua epistola data Matriti in Conventu S. Philippi die* 2. *Iulij* 1650.

275 *Acad. Mutin.* *Adde nunc Academiam Placentinam, D. Hieronymo, & D. Thomæ dicatam, de qua infra num.* 294. *Adde Academiam Mutinensem, cujus Rector Bartholomæus Sassarinus, epistolam direxit S. P. Benedicto XIII. cujus initium est*: Cum Pater Magister,&c. *finis verò*: Sanctitatis vestræ, Mutinæ 10. Aprilis 1728. Humillimus, obedientissimus servus obsequentissimus, Bartholomeus Sassarini. *Quo factum est, ut Benedictus XIII. Pontifex Maximus, direxerit litteras in forma Brevis, sic*: Cum primum oblatas,&c. *In quibus facultatem confert laureandi Theologos, inter alias, hanc assignans causam*: Tum, præclara insignis Collegij studia in Angelicam S. Thomæ Doctrinam. *Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die* 23. *Iunij* 1728.

Carolus Archiep. Emissenus.

Oscensis. *Demum his accensenda venit Antiquissima Sertoriana Oscensis Academia, quæ ante controversiam, plures habuit Doctores, gratiam efficacem, & Prædeterminationem defendentes; imò, & postea, ut apparet in Doctore egregio Gaspare Ram, Scholæ Thomistæ acerrimo defensore.*

PUN-

PUNCTUM XX.

OSTENDITUR FERE OMNES RELIGIOSOS Ordines, & eorum Doctores esse contra scientiam mediam, & pro gratia efficaci, quamvis à contrarijs in sui favorem objectos.

OBIECTIO.

Stat insuper contra Prædeterminatores auctoritas, ex omni Religiosorum ordine, maximè multa, & gravis, &c. *Aranda lib. 3. disp. 11. num. 24.*

RESPONSIO.

UT *objectioni fiat satis, usurpanda sunt verba Mag. Sentent. in 1. dist. 43. §. 5. dicentis*: His autem, illi scrutatores, qui defecerunt scrutantes scrutinia, sanctorum annectunt testimonia. *Cum autem P. Aranda, ex Ruizio de Montoya, assertum dicat convincere*, citatis Auctorum, & locis, & verbis: *Sic nos procedemus, ut lector discernat, quæ loca, & quæ Auctorum attendenda sint verba. Quia verò pluries, objiciuntur nobis Auctores Thomistæ, quasi Adversarij, accipe circa hoc satis nobile exemplum. Guillelmus Æstius celeberrimus scriptor, & Doctor Lovaniensis, & Cancellarius Duacensis, nomine Academiæ scripsit contra Lesium, & Amelium. At, quia aliqua immiscuit minus expressa, lector quidam Iesuita in Aquiccinctino Collegio, in favorem propriæ sententiæ illum adduxit. Vnde Æstius coactus est orationem publicam habere die 19. Decembris anni 1669. cujus initium erat*: Superioribus diebus allatum est ad me scriptum quoddam, publicè dictatum à P. Lectore Theologiæ, &c. *Et postea, inter alia hæc expressit*: Planè declaro, me semper ab istis opinionibus, quas lector se traddidisse profitetur, fuisse alienissimum, &c. *Et addidit*: Lectorem remitto ad ea, quæ de utroque argumento, (*scilicet, de Prædestinatione, & gratia*) ex professo docui, & dictavi super 1. & 2. sententiarum. *Si ergo hoc contigit erga Æstium ita proximum, & inter vivos, agentem; quid de Auctoribus vita functis, & remotis, alij scribant, lector discernat.* 276 *Guill. Æstius*

Doctor Salvator Collados, pro suo D. Muñoz, contra gratiam ab intrinseco efficacem, ferè omnes, & præcipuos Doctores Scholæ Scoticæ, & Ocham, annumeravit. Pro quo vide supra. At, universaliter, legendus est Doctissimus Henricus à S. Ignatio, Ord. B. Mariæ de Monte Carmeli, & publicus Professor Leodiensis, qui tom. 1. in præfat. de D. Thoma hæc habet: Cujus tanta est gloria, tam venerabilis auctoritas, in Ecclesia, ut ejus doctrinam celeberrimæ totius orbis Academiæ, & triginta prope Religiosissimi Ordines profiteantur. *Quorum, aliquos Auctores placet discutere.* 277 *Henric. à S. Ignat.*

278 *Ex Ordine S. Basilij Magni, ferè omnes Doctores tanquam Adversarij nobis objiciuntur; & novissimè Ill. Roldan, in suo tomo, cui titulum præfixit:* Lux D. Basilij, & D. Thomæ; *de quo fatetur Collados, defendere gratiam efficacem, sed via diversa, à via Thomistarum. Fateamur in hoc ordine plures contra nos, & plures nobis faventes, de quo Salmantica rationem reddet. Fateamur etiam defendere gratiam eficacem diversa via. Sed ex hoc quid contra nos? Et in memoriam revocetur celeberrimus M. Fr. Michael Perez, Academiæ Salmanticensis honor, & insignis Thomista.*

Ordo S. Basilij.

279 *Ex Ordine S. Benedicti, sicut ex Cisterciensi exprimit litteras, quas aliqui direxerunt Procuratori Generali Romæ degenti, tempore controversiarum de quibus Henao tom. 1. de Deo uno fol. 494. Et quamvis Henao irrideat epistolas à nobis citatas, in prologo scientiæ mediæ, num. 8. ego tamen, sine risu, adversus litteras P. Hieronymi Marton Benedictini, cui alij pauci adhæserunt, de quo mentionem facit P. Paulus Leonardus, (aliàs Sertogus) 1. part. sect. 10. & 11. quæ litteræ erant commendatitiæ, alias litteras seriò scriptas proferam, lectoris discretioni à me directas. Cum igitur Procurator Generalis novitatem illam, non sine admiratione, notaret, litteras direxit P. Antonio Cornejo, Abbati S. Iacobi in Gallætia, & antea primariæ Salmanticensis Cathedræ Moderatori, scire cupiens, quid rei esset, quod aliqui Benedictini Molinæ causæ faverent. Rescripsit Abbas Cornejo, vulgari idiomate, quo in Latinum fideliter verso, sic mentem suam exprimit:* Novit quidem Paternitas vestra instituti nostri Professores, inter D. Thomæ Discipulos censeri, communi Scholarum nostrarum suffragio; atque adeò Thomisticam sententiam communem Instituti nostri doctrinam reputari oportere. Quamquam verò in ea, quæ Dominicanos inter, & Jesuitas, movetur hodie controversia, variæ cirumferantur opiniones, tutiorem nihilominus viam init Professorum nostrorum pars nobilissima, eam nempe, quæ D. Thomæ, ejusque Discipulorum est, &c. *Compostellæ die ultima Iulij 1603. Antonius Cornejo Abbas S. Iacobi in Gallætia. Vide lector, & perpende, primas litteras, his alijs obscuratas.*

Ordo S. Benedicti.

280 *Deinde, innegabile est, contra Molinæ doctrinam insurrexisse circa annum 1595. & infra, Cardinalem Descars, Anastasium Brixiensem, & Iacobum Le Bossu, Doctores Benedictinos; simulque Didacum de Sylva esse contra scientiam mediam, ut apparet ex Henao event. 29. num. 698. & ex ejus tom. 2. in 1. part. quæst. 14. art. 13. dub. 11. ubi ait: Futura conditionata, de conditione nunqua purificanda, cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ, ut possibilia. At si dicat Henao, M. Angelum Manrique, in M. S. C. esse in favorem scientiæ mediæ, nec fateor, nec resisto, quia illa non legi; sed adversus illum, cæteros Benedictinos observo.*

281 *Adde, inter Benedictinos, novissimum scriptorem, M. Alphonsum Vvenzl tom. 3. in edit. Ratisponensi 1724. part. 8. controv. 4. de gratia efficaci quæst. 2. §. 1. num. 252. pag. 106. asserentem Cardinales Marium de Monte (postea Pontificem) & Marcelum Cervinum, Legatos in Concilio Tridentino, & Præsides, approbase libros Mag. Soto defendentis præ-*

Vvenzl.

præmotionem, & gratiam ab intrinseco efficacem. Ex quo statim infert, hanc doctrinam esse conformem sensui apostolico, & legatis, qui præerant Concilio Tridentino. Card. Aguirre Doctor famosus, vindicat Thomistas à Iansenismo, ut vidimus num. 233. In præcipuis assertionibus Thomistis adhæret, ideoque defendit coexistentiam physicam futurorum in æternitate tom. 1. disp. 44. sect. 3. num. 38. Et quamvis ex professo nostra dogmata non discernat, sufficit illa discretio Scholæ Thomisticæ à Iansenismo, ut contrarius sit illis, qui ex damnatione Iansenismi, arguunt contra nostram sententiam. Et quia ipse fatetur, quod Benedictini non sunt aliqua lege adstricti, circa sequelam hujus, vel illius Doctoris, extiterunt plures defendentes scientiam mediam in Hispania, alijs Doctoribus ex eadem familia repugnantibus. Attamen, ut vidimus in Congregatione S. Mauri, Orbi Christiano notissima, quis doceat scientiam mediam? Quis non defendat toto conatu gratiam per se efficacem? Legantur libri Benedictinorum, nuperrimi, ex Gallia adducti, & apparebit, etiam in fronte, Thomisticæ Scholæ favor summus. Pro quo sufficiat, apud Gonet, celebris S. Iustinæ Congregatio, in Italia, quæ Monasterium Casinum comprehendens, totius Ordinis debet ut caput haberi; quam aliæ congregationes sequntur, D. Thomæ doctrinæ vehementer addictæ. Aguirre. Congreg. S. Mauri.

Pro Cisterciensibus legatur D. Bern. Serm. 1. in Cant. ad illa verba: trahe me post te; *& similiter, Gilbertus Abbas, spiritum D. Bernardi, in Commentarijs ebibens, Serm. 21. in Cant. edit. Parif. 1602. (inter opera D. Bernardi) pag. 1855. litt. A. ait:* Et verè efficax gratia, & artificiosa: Nescio, quid magis mirer, artificium coactionis, an efficatiam Salvationis. Utrumque in beneficio gratum est, & voluntas, & eventus. *Ubi satis indicat artifitium quo Deus efficaciter movet, itaut sit voluntas se determinans, & eventus sequatur infallibiliter, & libere. Insignis, & antiquus Doctor Dionysius Cisterciensis, in tomo edito Parisijs, ut ex Privilegio Regis apparet anno 1511. in 4. lib. Sent. circa dist. 39. 40. & 41. agit ut Thomista. Et in dist. 40. & 41. fol. 41. pag. 3. mentionem facit de articulo 46. damnato Parisijs, sic probans Prædestinationem gratuitam:* Item, per articulum Parisiensem inter novos 46. quod aliquis prædestinatur ab æterno, propter usum liberi arbitrij ejus, quem ipsum Deus præscivit esse habiturum. Error. *Et in 2. lib. Sent. dist. 25. art. 3. pag. 79. col. 2. Ad 3. principale, loquitur, ut Thomista. Et fol. 76. pag. 1. loquitur cum Augustino, circa illud:* Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli judicare, si non vis errare. *Et dist. 35. fol. 90. pag. 4.* Respondeo ergo, ad quæstionem principalem, scilicet, utrum Deus sit Auctor actualis peccati; præsuppono quod quæstio non quærit de re ista, quam quis faciendo, peccat, ut est volitio (de hoc enim vix aliquis dubitat, cum omnis essentia Deum habeat Auctorem) sed quærit de difformitate, &c. 282 Gilbertus. Dionisius.

Mag. Lorca, celebris Cisterciensis, ore pleno, & Lato Calamo, contra nos adducitur; & etiam à D. Collados, cum tamen nobis appertè, in præcipuo puncto, faveat. tom. 2. edit. Complut. 1609. in 1. 2. dis. 20. & 21. 283 Lorca.

pag.

pag. 684. *ubi ait*: Dico 2. possibile est, & existimandum, sæpè fieri, ut Deus efficaci physica motione prædeterminet voluntatem, & hac ratione efficiat, ut operetur, salva, & illæsa libertate. Hæc assertio probatur primò testimonio D. Thomæ, cujus indubitata Doctrina est::: 2. probatur ex Augustino::: 5. possumus rationibus arguere. Et semper mihi visa est efficax ratio ab inconvenienti; quia sequeretur non posse Deum facere, ut homo operetur liberè, quodcumque ipse voluerit; atque adeò non posse prædestinare quemcumque, &c:: Ad 2. partem difficultatis, respondetur, concedendo necessarium esse, ut actus sit liber, ut voluntas seipsam determinet; sed non pugnant hæc duo: ut determinetur à Deo, & simul determinet se ipsam. Si enim ita Deus moveret voluntatem, ut ipsa nihil ageret, determinatio Dei auferret libertatem; sed cum Deus, ita moveat, ut simul cum voluntate efficiat operationem, voluntas se determinat, licet determinetur à Deo. *In fine facit mentionem de controversijs tunc Romæ habitis, & ait*: Causa ad Sedem Apostolicam delata est. *Hic est vir Cisterciensis, adversus nos recantatus.*

284 **Ordo Chartusianorum.** *In Ordine Carthusianorum prælucet B. Dionysius Carthus. celebris Doctor, qui in* 1. *dist.* 38. *quæst* 2. *pro nobis est, & præter usum distinctionis*: In sensu composito, & diviso, *quam frequentat, citat D. Thomam* 1. *part. quæst.* 14. *art.* 3. *contra Gentes cap.* 68. *ibidemque pag.* 560. *editionis Col.*1535. *ait*: Præscientia enim Dei non dependet ex rebus, aut futuritione earum, sed è converso, ut patuit; nec aliquid est futurum, nisi ex prædispositione divina, loquendo de his, quæ propriè sunt à Deo. *Ecce ubi evertit fundamenta scientiæ mediæ.*

285 **Ordo S. Aug.** *Ex Ord. Augustiniano, excepta familia Aragonensi, D. Thomam, sicut Augustinum sequuntur, juxta prælibata à nobis, num.* 168. *in quo, supponenda venit Congregatio S. Salvatoris Lateranensis in suis Constit. part.* 2. *cap.* 11. *& Gallicana in Capitulo Generali Parisijs* 1650. *Et quia longum esset omnes Doctores Augustinianos nobis objectos percurrere, de aliquibus præcipuis mentionem facere decrevi, & in primis de antiquo, & insigni Priore Generali Thoma Argentina, quem pro se adducit P. Henao,* 2. *Sent. dist.* 40. *quæst.* 1. *art.* 3. *cum tamen ibi loquatur, ut Thomista, sic*: Contingentia consequentis, sæpiùs compatitur secum necessitatem consequentiæ. *Et postea respondens ad argum. quod replicant contrarij, ait*: Unde, non plus, virtute illius consequentiæ potest inferri, nisi quod Petrus salvabitur eomodo, quo Deus prævidit, seu præscivit eum esse salvandum; sed Deus prævidit Petrum sua libera voluntate bene uti gratia sibi collata, &c. sequitur ergo conclusio, quæ est consequens ex supradicto antecedente, scilicet, quod Petrus salvabitur liberè. *Legatur in* 2. *dist.* 36. *&* 37. *art.* 3. *ubi explicat concursum Dei ad materiale peccati, pag.* 200. *editionis Genue, sic*: Quantum ad 3. articulum dico, quod omnis actus, quantumcumque magnam habeat enormitatem annexam, consideratus tamen, ut aliquid in se includit entitatis positivæ, sic dependet à Deo in genere causæ efficientis. *Et de opinione con-*

contraria ait: Quæ tamen pro nunc, apud Auctores error reputatur, ponens, quod actus peccati, etiam in quantum actus non est à Deo. Et hanc opinionem tenuit Præpositivus. *Lege ibi, quæ sequuntur, & miraberis adversus nos citari à P. Henao. Obijt Argentina Viennæ Austriæ* 1357.

Seripandus, Magnus ille vir, Augustiniani Ordinis Prior Generalis, & postea S. R. E. Cardinalis, Concilio Tridentino assistens, approbavit opusculum Ioannis Driedon, Ord. Minor. Theologi statuentis præmotionem, ut ait Vvenzl Benedictinus loco citato num. 281. *cui addi possunt plurimi Auctores ejusdem Ordinis, ut Ægidius à Præsentatione, qui citatur ab Henao, licet non satis confidenter, event.* 44. *num.* 1157. *tom.* 1. *de Beat. lib.* 1. *quæst.* 18. *art.* 2. §. 8. *Vbi distinguit Bruta, quæ moventur à se, secundum* considerationem physicam, *& homines qui moventur à se secundum considerationem moralem, scilicet in ordine ad finem, & ex cognitione finis. Vbi lector videt, quam ineptè hæc doctrina ab omnibus Theologis admissa in tract. de ultimo fine, ut favor Scholæ Iesuiticæ, contra Thomisticam, pronuncietur. Si autem Penotus Augustinianus contra nos adducatur, videantur dicta, ex Macedo, supra* 228. *Leonardus Coquæus in lib. de Civitate Dei, sequitur suum Parentem Augustinum, & D. Thomam, ut concordes in gratia per se efficaci, requisita pro omni statu.* 286 Seripandus. Ægidius à Præsent. Pennotus.

Non me latet Doctorem Collados Coacervare Magistros, Augustinum Antolinez, Ludovicum de Leon, Basilium Poncium Legionensem, Petrum Aragon, Ioannem Baptistam Plumbinum, Gregorium Nuñez Coronel, & alios, pro sua schola; statimque exponere litteras Fr. Ioannis Marquez directas Mag. Plumbino Romæ Procuratori, & in Congregationibus Consultori; sed quia tales litteras non satis exprimit, quoad ubi, & quando, legatur M Fr. Fulgentius la Fosse speculo 3. *fol.* 218. *ubi de illis litteris, & causa, qua sunt scriptæ fit mentio. Petat Adversarius Romam, & apud Augustinianos leget litteras Plumbini, & Coronelli; imò, & scripta Theologica contra Molinam. Inveniet litteras M. de los Rios, nomine suæ Religionis agentis; quæ prævalent contra litteras cujuslibet singularis Doctoris.* 287

At circa Basilium Ponce legendus est P. Macedo tom. 1. *collat.* 12. *dif.* 1. *pag.* 525. *sic scribens*: Id tantum dico Magnum illum virum Augustiniani ordinis lumen, Basilium Poncium, existimasse in Augustino inveniri medium conciliandi libertatem arbitrij cum efficatia gratiæ; & cum antea scientiam mediam tenuisset, ab ea postea recessisse. Indicavit hoc mihi, cum adornarem hoc opus P. Henricus Noris (*postea Cardinalis*) Veronensis, Regens Studij Patavini, vir magni ingenij, & exquisitæ Doctrinæ. *Imò P. Theophilus Raynaudus diatrib.* 3. §. 65. *in fine ait de Poncio*: Inivisse fœdus, cum Prædeterminationibus Cyriacis. 288

Vt autem appareat, qualiter examinantur Auctores legatur M. Aragon, publicus Professor Salmanticensis, in 2. 2. *D. Thomæ quæst.* 83. *de oratione art.* 2. *edit. Lugdunensis* 1587. *pag.* 550. *Vbi postquam recurrit, ut solvat argumentum, ad physicam præsentiam futurorum in æternitate, sibi objicit* 2. *argum. quo utuntur contrarij, & resp.* Quo circa D. Thom. 289

1. part. quæst. 19. art. 8. & quæst. 22. art. 4. & 1. contra gentes cap. 85. aliam assignat rationem, dicens, quod quamvis divina voluntas sit causa efficax rerum futurarum, tamen quædam res eveniunt contingenter, & liberè, non quia liberè vult illas Deus, sed quia vult, ut liberè, & contingenter eveniant. Et hæc est, inquit, summa efficatia divinæ voluntatis, quod non solum efficit id quod vult, sed etiam efficit, ut eveniat eo modo quo vult. Vult autem Deus, ut quæ fiunt, ipso concurrente cum causis liberis, fiant liberè. *Hæc est doctrina D. Thomæ, & Thomistarum,* quæ certè (ait Aragon) aut vera est, aut ad veritatem proximè accedit. *Et quamvis fateatur difficultatem, tandem cum Cayetano loquitur:* Et hæc ignorantia (*inquit Cayet.*) quietat intellectum nostrum quod ego item verum puto. *Hæc de Aragon qui à P. Henao pro se citatur.*

290 *De alijs autem non examinamus scripta, quia in promptu ea non habemus, nec Auctores sunt, ita famosi. Sufficiat, ergo, id quod scribit M. Fr. Fulgentius la Fosse Augustinianus in libro, cujus titulus:* Speculum Triplex, *qui postquam defendit gratiam per se efficacem, ut dogma Augustinianum, & Thomisticum, ait quod* Augustiniani adhærent Thomistis. *In Speculo* 3. §. 1. negant ullam. *Ideo, in hac Provincia Aragoniæ, quæ Insulas Baleares, Cathalauniam, & Valentiam cingit, exteri, non sine stomacho vident aliquorum Aragonensium Theses, quapropter die* 18. *Aprilis* 1723. *Legimus Theses P. Lectoris Barchinonensis Fr. Augustini Llorens, in quarum calce, sic erat inscriptum.* Adversantium objectionibus responso, præstò erit (Deo prædeterminante) idem qui supra, &c. *Et hoc anno* 1732. *legimus in Thesibus propugnatis à P. Lectore Theologiæ Fr. Francisco Roig, die* 4. *Maij, in fine* §. 5. *col.* 1. Decreta Thomistica, quia Augustinianus propugno. *Quibus consonant aliæ Theses.*

291 *Ordo Carm.* *Ordo Sacer B. Mariæ de Monte Carmeli, Thomisticam amplectitur doctrinam; interque ejus Asseclas est magnus, & resolutus Doctor Ioannes Bachonus, ut Thomista numeratus ab erudito Carmelita in M. S. C. ut ait P. Henao event.* 37. *num.* 824. *ex* 1. *dist.* 17. *quæst. unica art.* 5. *in principio. Et in* 1. *dist.* 40. *quæst. unica art.* 4. §. Per hoc. *Et quamvis Henao intendat illum explicare, sicut & alios Doctores Carmelitas, in vanum laborat. Lege, & discerne dicta à Bachonio in* 2. *dist.* 35. *&* 39. *ut judicium feras. At quia P. Henao, de pluribus loquitur Carmelitis, & Ortega controv.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 1. *certam.* 11. *pag.* 496. *dixit:* Carmelitas, per vim, & metu potius sui Provincialis, quam studio ad Thomisticam doctrinam pertractos, &c. Speramus autem eosdem intellectuali hac tyrannide liberos, libertatem, & suam, & nostram, cum suis antiquioribus Doctoribus, Bachone, Ubaldensi, & insignioribus reliquis defensuros; *opere pretium erit hos in examen vocare, ut quisque videat, an P. Ortega confregerit catenam auream, qua illum P. Suus, S. Ignatius ligavit; & Carmelitis affinxerit catenam ferream, jam primo sonitu disruptam. Certe Carmelitis non imminet expulsio, cujus metu Petavius mentem suam, prius cantrariam, doctrinæ de scientia media accomodavit, ut no-*

notavimus suprà. Legatur Vbaldensis agens contra Vbiclef lib. 1. *doctrinalis fidei art.* 1. *cap.* 26. 27. *&* 30. *& lib.* 1. *de Sacram. cap.* 2. *&* 3.

Incognitus, *cujus nomen exprimit Henao, ibidem, in Psal.* 72. *v.* 11. *ad illud*: Quomodo scit Deus, & sic est scientia in excelso? *Scripsit cognitionem Dei, non esse permedium à Deo distinctum, & concludit*: Et isto modo ponemus Deum cognoscere alia à se, non per aliud, sed per se ipsum. *Quam conclusionem deducit ex inconvenienti à Thomistis ponderato, si Deus cognosceret futura in seipsis, ante Decretum. M. Dionysius Blasco in Cursu Philosophico, ex Bachono lib.* 6. *dist.* 24. *quæst.* 2. *art.* 4. §. 3. *in Synopsi Bachonij, ait*: Resolutus (*Doctor*) in 1. dist. 4. per totam, resolutè hanc difficultatem dilucidat, probando tales propositiones non habere determinatam veritatem, secluso omni Decreto Dei de præsenti, sed esse indifferentes, ut fiant veræ, vel falsæ postea per existentiam, vel carentiam futuri contingentis. Sic num. 117. *Et postea num.* 125. *ponit conclusionem Thomisticam, & solvit argumentum Scholæ Iesuiticæ dantis veritatem determinatam futurorum ante Decretum.* 292

Mag. Raymundus Lumbier, cujus memoria adhuc est Cæsaraugustanis pergrata tom. 1. *in* 1. *part. de scientia Dei quæst.* 7. *art.* 1. *num.* 264. *quamvis problematicè scribens, ait*: Adverte autem futurum absolutum, sumi posse ut futurum precisè, vel ut certò, determinatè, & infallibiliter futurum. Primo modo est à Divino Decreto, ut causa efficiente disponente juxta leges providentiæ futuritionem. Secundo modo est à Decreto, non solùm ut causa efficiente, sed etiam ut formali, juxta ultimam probationem sententiæ Thomisticæ. *Et in varijs placitis refert sententias, & objectiones proponit, & solvit. Et quæst* 9. *art.* 1. *num.* 497. *ait*: Assero 2. quod ex omnibus sententijs supra adductis, probabiliores sunt Thomistica, & Suaristica, & utraque potest defendi problematicè, & ideo ne immutemus nostrorum in Aula Auditorum, utriusque Scholæ principia in Philosophia jacta, quælibet ex his ad arbitrium defendenda. *Hoc dixit, quia in Theologiæ Cursu, utriusque Scholæ docebat auditores; & tunc temporis plures Carmelitæ, ad libitum, sententijs, in hac Schola adhærebant.* 293

Mag. Celebris Cornejo insignis Thomista fuit, ut apparet in ejus Commentarijs; & quamvis Mag. Generalis Feixoo de Villalobos, nullum quem viderim scripserit librum, fuit acerrimus Thomista, & in suo Conventu Vallisoleti, ut refert testis oculatus Mag. Pozo, in Codice publico adversus D. Collados, mirabiliter respondit objectioni P. Sartolo Iesuitæ, arguentis contra Prædeterminationem, ex capite libertatis. Imò sequelam D. Thomæ, lege qua omnes Carmelitas adstringeret, stabilivit. Sic Carmelitæ Reformati Provinciæ Turonensis, in Constitutionibus sub R. P. Theodoro Stratio editis, part. 1. *cap.* 21. §. 15. *pag.* 143. *hæc habent; scilicet, quod sint duo Lectores*; itaut intra triennium tota D. Thomæ summa perlegatur. *Et statim additur, quod Lectores sequantur doctrinam D. Thomæ; cum interpretatione Doctorum ipsius Ordinis. His annumerandus venit Doctissimus, & nuperus scriptor Leodiensis M. Henricus à S. Ignatio de quo di-* 294 Cornejo.

xi-

ximus num. 277. *Nec silentio præmam, quod Ill. Episcopus Albarracinensis Ludovicus Abadia, quem pro se trahit P. Aranda, cum per aliquot annos Scholam Iesuiticam, pro Cathedris obtinendis, esset secutus, mutatus est senior in virum alterum, retractans publicis scriptis opinionem de scientia media, & plures efformans libros in laudem D. Thomæ, cujus Scholæ provectiorem dicavit ætatem. Sic M. Fr. Paulus Maurin, Vespertinæ Cathedræ Theologiæ, in Academia Cæsaraugustana, dignissimus Moderator, fuit Scholæ nostræ nobile ornamentum. Possem, & alios in medium proferre, quorum laudi sola efficit vita mortalis.*

Non me latet, nobis objici, P. Bona spe, ejusdem Ordinis, Cursus Theologici tract. 1. dis. 11. num. 8. dicentem: Scientiam mediam esse ad scripturæ locutiones explicandam necessariam, è nostris arbitrati sunt P. Henricus Sylvius, Ordinis nostri tunc Vicarius Generalis, postea Generalis, & Joannes Antonius Bobius. *Hic vir, cujus libros non licuit hucusque contrectare, non legit scripta Sylvij sui, in quibus totus fuit contra Molinam, & Romæ discretorum oculis objiciuntur. At Bobius, defendit, ut Iesuitis, quorum vestem (ut dicitur) indutus aliquando fuerat, addictus, opinionem Molinæ, ut probabilem, & contrariam non esse de fide; & scrutator scriptorum Bobij, hoc, & nihil amplius inveniet. Sed quid, si loquamur de Carmelitis Discalceatis? Otiosum erit in orbe litterario. Videantur dicta supra de D. Theresia à Iesu; & pro nunc sciat lector, quod cum S. Ioannes à Cruce de Doctrina Contemplationis dubitaret, legens, pro more, Summam D. Thomæ, ibi omnes dubietatis tenebras superavit. Legatur in Ascensu Montis Carmeli, lib. 2. cap. 21. circa illud Isai. 19. v. 14.* Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis; *dicens de Decreto permissivo peccati, id quod Thomistæ communiter dicunt. Ideo de Theresiæ filijs dixit quidam Doctus:* Non tam sunt Thomistæ, quam novus Thomas; alius quidem minor, alius major.

295 Carmelitæ Excalceati. *Ordo regalis, & sacer B. Mariæ de Mercede Redempt. Captiv. suos Magistros, in Schola D. Thomæ enutriendos curat; & præsertim Duce sapientissimo M. Zumel, ejusdem Ordinis Generali Mag. qui adversus Molinæ opinionem, simul cum Mag. Bañes acriter insurrexit; & laudatus est à Clem. VIII. Brebi Apostolico illi transmisso die* 10. *Martij* 1603. *cujus initium erat:* Dilecte fili, salutem, & Apostolicam benedictionem. Et jam antea nobis nota erat virtus tua, & insignis doctrina, &c. *De quo scribens Mag. Bañez, hæc habet:* Quia Doctor Ludovicus Molina, me solum expresso nomine, una cum præfato sapientissimo M. Zumel carpere de quibusdam assertionibus, quas in nostris vulgo editis libris, denfendimus, attentavit, ideo solus ego subscripsi, ac pro meis defensionibus, præsentem tractatum, ubi opus fuerit, & in quovis Sacro Tribunali, etiam Apostolicæ Sedis offero. Subscripsi Salmanticæ 7. die Julij anni 1595. Fr. Dominicus Bannes. *His encomijs non favet Doctor ille Collados, & P. Fasolus, ex quo dicit, tom. 2. in 1. part. quæst. 14. art. 13. dist. 9. num.* 110. Solemne huic scriptori est, nunc nostris, nunc Adversariorum sententijs, propemodum, verba ipsa describendo, ad-

hærere. Ex quo, quanti ejus auctoritas facienda sit, quivis facile judicaverit. *At ego, in hujus ordinis Auctoribus examinandis, immorari nolo, cum sciant omnes, ab initio usque modo Angelici Doctoris placitis adhærere, & doctrinam de gratia, & prædeterminatione, toto conatu, propugnare. Lege supra num.* 63.

Ordo D. Hieronymi Alumnos habet doctrinæ Thomisticæ, etiam ex statuto *addictos, inter quos eminet M. Cabrera celebris scriptor, & Thomista; quo circa Philippus II. præscripsit in Regio Escuriali doctrinam D. Thomæ, Hieronymianis, ibi degentibus. Sed, hæc D. Hieronymi, & D. Thomæ cohærentia, novissimè lumen accepit in Academia Placentina, quæ est in Italia sub dominio Ducis Parmensis, & quæ die 6. Novembris anni* 1727. *unanimi consensu statuit, & decrevit, ut omnes in illa laureati, & agregati, tenerentur ad profitendam, tuendam, & promovendam doctrinam D. Thomæ; pro quo publicum Instrumentum condidit sic expressum*: Cum ad pias aures Serenissimi,& Clementissimi Ducis Antonij Farnesij perventum fuerit, vetustissimam hancTheologorumUniversitatem,&c. ex Sanctorum Patrum Cathologo ab exordio suæ Institutionis D. Hieronimum pro peculiari protectore selegisse; & die vigesima Aprilis anni 1718. Div. Thomam Aquinatem, comprotectorem adjunxisse; idem Serenissimus, ac Religiosissimus Dux,&c. *Apud Graveson tom.* 1. *epist. in fine. Et loquatur pro se Hieronymus Psal.* 88. *v.* 13. Tuum brachium cum potentia, *dicens* : Fortitudo tua, cum ea qua voluerit efficatia prævalebit. 296 **Ordo D. Hieron.**

Ordo S. Trinitatis, ut Scholæ Iesuiticæ addictus proponitur, & inter plures hujus Ordinis Auctores, numeratur à D. Collados M. Paez Conimbricensis, qui citatur contra Nos ab Henao event. 44. *num.* 1194. *in exposit. Cantici Moyses, pag.* 361. *Legi satis curiosè, & nihil ibi in favorem nostræ, aut contrariæ Scholæ, inveni. Et quia, in cartula sparsa, per Auctorem Anonimum, contra M. Pozo, festiva scurrilitate, scribitur* : Acabo con prevenir al R. Pozo, que otra vez averigue mejor las noticias, que dà al publico; porque los RR. Trinitarios Andaluzes, no son Thomistas, ni lo piensan, *faciliter potest M. Pozo respondere, non levitate ductum, illa protulisse, cum viderit, & legerit plures Theses Provinciæ Beticæ S. Trinitatis, Thomisticam doctrinam redolentes. Si autem Anonimus ille non vidit aliquas, legat illas defensatas* in Regio Hispalensi Cœnobio Ordinis S. Trinitatis, die 29. Maij anni Domini 1714. *quas, utpote recentes poterit scrutari; & inveniet, post plurima encomia, quibus Collegio S. Thomæ Hispalensi nuncupantur, conclusiones artificiosè, & acrosticè dispositas, in quibus laus, & doctrina D. Thomæ continetur, quarum ultima est hujusmodi*: Ad nostræ gratitudinis quæstum, hæc paucula decerperé libuit, quod ferè omne sicut à N. Magistro Arcos accepimus, iterum avidiùs rependimus::: Hispali, ex Typographia Francisci Garay, in vico de Vizcaynos 1714. 297 **Ordo S. Trinitatis.**

Quid autem ego observaverim, paucis exponam, ex vi Decreti, quod non potui originaliter scrutari, sed ejus veritatem, in vi testimonij viri,

in Ordine S. Trinitatis, scientia, & virtute maturi, satis agnovi, & transcriptum accepi. Provincia, igitur Castellę, Legionis, & Navarræ, Ord. S. Trinitatis in Capitulo Provinciali congregata in Conventu Deiparæ de Virtutibus, anno 1684. *Decretum edidit, Innocentio XI. P. M. pro confirmatione Apostolica, directum, quod sic erat.* Deinde, cum nostræ præcipuè curæ, & solicitudinis sit, summoperè invigilare studentium bono, atque pro eorum fructu, de sanioribus medijs providere; præcipimus, & ordinamus omnibus Patribus Magistris, tàm in Universitatibus, Cathedrarum Moderatoribus, quàm nostrorum Collegiorum Lectoribus, ut publicè legant, & doceant studentes Angelici Doctoris D. Thomæ doctrinam, eo sensu, & intelligentia, qua eam docet, & explicat gravissima D. Dominici Familia. Est enim conformior his quæ præcipit nostra Sacra Constitutio lib. 2. cap. 3. de Officio Lectorum. Ut autem hoc nostrum præceptum firmius, & validius subsistat, & securius exequatur, præcipimus in virtute S. Obedientiæ sub pœna privationis Lecturæ Lectoribus, atque studentibus, si præfato decreto non paruerint, &c. *Et post mentionem factam de plausu, & gaudio, quo Provincia hæc, Decretum acceptavit, in litteris datis Innocentio XI. hæc exprimuntur.* Cum ergo summopere desiderent omnes, tum præfati Decreti ineluctabilem firmitatem, tum Apostolicæ benignitatis firmissimum robur Sanctitatem vestram, post Sacrorum pedum humilimam exosculationem enixè præcamur, ut Angelicam Doctrinam, toties Apostolicis laudibus decantatam, iteratis plausibus Apostolica vestræ Sanctitatis prosequatur oratio: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*; & institue nobis Magistrum, designa Doctorem, &c. *Et post narrationem encomiorum, quibus doctrina D. Thomæ, à Summis Pontificibus, & Concilijs est commendata, petit illa Provincia confirmationis solatium.* Datis in nostro Conventu Matritensi die 4. Julij anno Domini 1684. Beatissime Pater. Post humillimam sacrorum pedum exosculationem. *Fr. Ioannes Marquez de Prado, Prædicator Generalis, Visitator Apostolicus, & hujus Capituli Præses. Fr. Emmanuel de Guerra, & Ribera, Doctor Theologus Salmanticensis, & Philosophiæ Cathedræ, in eadem Universitate publicus Antecessor, & Caroli II. Hispaniarum Regis concionator, atque designatus Theologus; Diœcesis Toletanæ Synodalis Examinator, & Minister Provincialis Castellanæ Provinciæ. Mag. Fr. Didacus de Salazar, & Cadena, Concionator Regius, Doctor Salmantinus, Provincialis absolutus, Examinator Synodalis hujus Diœcesis Toletanæ; primus Diffinitor. Mag. Fr. Franciscus de Perea secundus Diffinitor. Mag. Fr. Franciscus de la Cuesta, Prædicator Regius, Minister Matritensis, & tertius Diffinitor. Prædicator Generalis Fr. Franciscus Barreno (aut Barbero) & Torres quartus Diffinitor. De mandato R. Diffinitorij Fr. Mathias Pimentel, & Herrera in Sacra Theologia Lector Iubilatus, necnon Diffinitorij Secretarius.*

298 *Trinitarij Excalceati.* *Inter Trinitarios PP. Discalceatos, Fr. Ioannes de Iesu Maria, in Sermone, fol.* 121. *scripsit:* Què mucho hazemos de seguir la doctrina de

de Santo Thomàs, siendo tan pura, tan buena, tan sana, y tan sabia su doctrina? *Et quia S. Ioannes de Matha, B. P. Dominico prænuntiavit habiturum filium, (D. Thomam, cujus doctrina totus Mundus esset illustrandus, ut refertur à P. Baronio, in Regestu, 1. part. inter miracula S. Ioann. de Matha, num. 4. & à Melchiore à Spiritu S. in vita S. Ioann. de Matha lib. 2. cap. 18. num. 371. fol. 180. & à P. Didaco à Iesu cap. 24. num. 26. ob hoc forsam in Constitut. cap. 38.* §. 4. de Lectoribus. *Edit. Viennæ Austriæ 1694. pag. 121. hæ sunt ordinationes*: Pater Generalis eligat Lectores, tàm Philosophiæ, quàm Theologiæ Scholasticæ Expositivæ, & moralis, præveniatque eos sex mensibus ante Cursum, ut se præparent; semperque deputet Personas doctas, observantes, amantes docere doctrinam S. Thomæ, non quæstiones inutiles, seu periculosas, &c. *Editus fuit liber à P. Fr. Antonio à Conceptione Ministro Generali. Et ejus titulus est*: Regula primitiva,& Constitutiones,&c. *quæ includunt Bullam Clem. X.*

Ordo Minimorum S. Francisci de Paula, ex mente, & animo adhæret doctrinæ D. Thomæ; quod quidem novissimè demonstravit Ill. Palanco, orbi literario notissimus, pluribus Theologiæ, & Philosophiæ voluminibus; quem, satis infeliciter D. Collados, contra nos produxit, eò quia defendit Physicam præmotionem non consistere in qualitate physica impressa, de qua indiscretione diximus num. 67. At objicit Collados, ex Henao, & alijs Ioannem Durulæum, Marinum, Mersenum, Claudium Bangolium, Ioannem Ponce, Ioannem Lalemandet Provincialem Germaniæ. Percurramus, non singulos, sed aliquos, ut ex aliquorum examine, aliorum innotescat scrutinium. Hic Ioannes Lalemandet exponitur ab Henao event. 23. n. 637. & notatur inconsequentiæ ab ipso Henao, quia postquam impugnaverat prædeterminationem in Cursu philosophico, voluit exterminare scientiam mediam tom. 1. de Deo uno, disp. 8. part. 3. num. 55. pag. 250. scribens: Modicæ auctoritatis fuit hactenus in Schola Theologica scientia media, & proinde exterminanda, quia neque ratione, neque auctoritate fulcitur. *Hæc apud Henao event. 49. num. 1313.* 299 *Ordo Minimorum. Palanco. Lalemandet.*

Legi Theophilum Raynaudum Diatriba 10. §. 162. citantem hunc disp. 4. Physic. partit. 4. clypeo 2. cum dixit: Non obstantibus insultibus Bannis, & suorum Partiatiorum, Molinistica opinio abrogans ferreos illos libertatis humanæ nexus, altiores semper radices agit. Thomistica verò (*imò Bannesiana, ait Theophilus*) Prædeterminatio jam dormitat, etiam in eorum Scholis. *Vbi Theophilus erasit è medio citationis illius, ista duo verba*: Teste Lessio, *quæ Alamandet inseruerat, ut ostenderet illud dictum non esse suum, sed Lesij Iesuitæ. Illud ergo refert Alemandet, & improbat, ridens confidentiam Lesij. Hinc discat Lector, quænam fides, hujusmodi Auctoribus sit adhibenda. De Maygnano diximus supra. Legatur Codex Mag. Pozo, pag. 78.* 300 *Theophilus Rayn. Maynani.*

In qua parte legendus venit Modernus scriptor Minimus Bouchat Provincialis Franciæ, & Professor Parisiensis, editione Rothomagi 1725. cum enim in favorem scientiæ mediæ, & contra Scholam Thomisticam à 301 *Bouchat.*

con-

contrarijs præsenserit citari, ut calumniam depellat in præfatione tomi 4. hæc exprimit: Scripsi dari scientiam mediam, *dissert.* 3. *de scientia Dei art.* 3. sed in sententia quorundam congruistarum, sic: Conclusio: Deus cognoscit futura conditionata libera per scientiam mediam, secundum Theologos Societatis Jesu. Art. sequenti: Deus cognoscit futura conditionata in Decretis independenter à scientia media. Hæc sententia videtur magis consona scripturæ, & Patribus. *Et postea subjungit ipse Bouchat*: Jam viri cordati intelligant absque fundamento Auctorem Diarij in nos insurrexisse::: Nec fœlicior, & veracior iste est, quando secluso examine pronunciat Theologiæ Auctorem à Schola Angelica secedere. *Et post plura circa hoc, concludit*: Schola Thomistica, quam ex præcepto repetito capitulorum nostrorum Generalium sequimur. *Lege ibi hanc rem prolixè discussam. Unde timeo, ne ego dicens*: Apud Professores Jesuitas datur scientia media, *crastina die sim citatus, quasi scientiæ mediæ adhærens, & à Schola Thomistica fugiens.*

302 **Ordo Præmonst.** *Ordo clarissimus PP. Canonicorum Præmonstratensium, S. Norberti, novissimè sequelam Thomisticæ doctrinæ roboravit. Cum enim anno* 1687. *R. M. Ocamps Magister Generalis in suis Actis, num.* 79. *Matriti publicæ luci datis, sic præceperit vulgari idiomate*: Item, se confirma, la que determina, que los PP. Lectores, assi de Artes, como de Theologia, no puedan leer, ni enseñar, en voz, ni en escrito opinion alguna contra la de Santo Thomas, sino que en todo, y en parte se conformen con ella; pena de que los que contravinieren sean privados de las Leturas, y los Cursos que huvieren leìdo, no se les passen para la Jubilacion. *Hoc confirmatum fuit in Capitulo* 1623. *in Conventu Dominæ nostræ de Retuerta, demumque anno* 1725. *sub M. Fr. Ioanne Galabis, nunc Archiepiscopo Insulæ S. Dominici.*

303 **Ordo Theat.** *Ordo Theatinorum, seu S. Cayetani, todo nisu doctrinam D. Thomæ defendit; ejus enim Alumni Patris tanti vestigia sequentes, Ordini Prædicatorum adjunguntur, in cujus examine immorari, huic Ordini injuria esset, cujus Pater, & Fundator à Dominicano directus; & cujus filius S. Andræas Avellinus, etiam D. Thomæ apparitione fuit aliquando recreatus.*

S. Franciscus Salesius. *Addimus S. Franciscum Salesium, qui, quamvis non Fratrum, aut Patrum, sed Monialium Institutor, epist.* 32. *vocat S. Thomam* Doctorum Maximum, qui unquam fuerit. *Recole dicta num.* 38. *& considera, an credibile sit S. Franciscum adhæsisse sententiæ P. Lesij de Prædestinatione ante prævissa mærita, & recessisse à D. Thoma, cui ipse contrariam tribuit sententiam: & quem hic ita laudat.*

304 **Clerici Minores.** *Ordo Clericorum Regularium Minorum, pro Schola Thomistica acerrimè stat, ejusque Doctores Salmanticæ, inter prima Thomistarum lumina apparent luminosi. Ideoque Henao, postquam locutus est de Ordinibus B. Mariæ de Mercede, S. Hieronymi, & Clericorum Regularium event.* 39. *num* 851. *ait*: Fateor Dominicanam sententiam nunc temporis defendi, ut plurimùm à tribus memoratis Religionibus, Salmanticæ, Vallisoleti, Compluti, &c. *Vide, qualiter doctrinam Thomisticam ad tres refert*

solas

solas Religiones, & in Academijs paucis; cum tamen Henricus Carmelita num. 277 Triginta propè Religiosissimos ordines, *numeraverit.*

Ordo S. Philippi Nerij, seu Congregationis Oratorij, tanti viri premens vestigia, D. Thomam sequitur. Sed quid mirum, cum ipse S. Philippus, apud Dominicanos in Conventu Romæ S. Mariæ super Minervam, quasi familiaris vixerit, etiam Magistri Novitiorum munia spontaneè, & jugiter exercens. Ille, ergo, Summam D. Thomæ frequenter contrectabat, & commendabat filijs suis, non semel advertens, quod evoluerent Auctores, quorum nomen haberet litteram initialem S. Sanctos indicans Doctores. Summam S. Thomæ assiduè contrectabat, & tempore mortis ejus, quinque summæ apud illum sunt repertæ. Patres Oratorij Romæ, Imagines S. Ioseph, & S. Thomæ, domus suæ fronti affixerunt. Hinc celeberrimus ejus Asseclа, & Cardinalis Cæsar Baronius, epistola directa Ill. Petro de Villars, Archiepiscopo Viennensi idibus Martij 1603. *opinionem Molinæ reprobavit. Quo circa ad annum* 490. *Annalium tom.6. pag.* 343. *hæc habet:* Videant, quanto periculo quidam ex Recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, à S. Augustini sententia de Prædestinatione, recedant, cum alioqui arma non desint, quibus hæretici profligentur. *Imitatus est Baronium Emin. Card. Berullus, Oratorij in Gallia Institutor epist.* 57. *Cujus Congregationis Præpositus Generalis de S. Marthæ, per solemne Decretum præscripsit sequelam D. Thomæ, secundum interpretationem Doctorum Ord. Prædic. Et novissimè Ioannes Cabassutius in sua Notitia Ecclesiastica ad Can.* 4. *Sess.* 6. *pag. mihi* 602. *ubi disertè tractat cum D. Thoma, & Scoto concordiam liberi arbitrij cum gratia efficaci. Adde Congregationes S. Pauli, Barnabitarum, & Patrum Doctrinæ Christianæ, apud Gonet, in Apologia Thomistarum.* 304 Cong. Oratorij.

Ordo Capuccinorum, quamvis extra Scholam Thomisticam, pro nobis est, D. Bonaventuram, & Scotum sequens respectivè. Ideoque Anselmus de Monopoli Cardinalis, scripsit in favorem Prædeterminationis, ut constat ex M. S. C. Romæ servato. Si autem allegetur contra nos Caspensis, alium Caspensem pro nobis expono, scilicet Doctissimum virum Fr. Bartholomæum de Caspe, quem sui antonomasticè Thomistam appellabant, & in utraque Theologia agnoscebant insignem. Hunc novi, & habui satis familiarem. Dum esset Guardianus in Conventu Caspensi, D. Thomæ sacellum construxit, nec illum sine proprij Magistri thesera nominabat, dicens semper: Noster Angelicus Magister. *Pro quo omnes Patres Capuccinos testes expono.* 305

Ordo Scholæ Piæ, D. Thomæ omnino adhæret, ut omnibus est notum, & constat ex Actis in Capitulo Generali, anno 1677. *celebrati, sub P. Generali Ioanne à Iesu, ubi hæc habentur:* Censuerunt Patres, & unanimi consensu decreverunt omnibus Religionis nostræ Lectoribus, ac Magistris, ex illibato Angelici Doctoris fonte hauriendam esse doctrinam, & in auditorum animos infundendam. *Ita refert P. Augustinus à S. Thoma Clericus Scholæ Piæ in sermone edito Barchinonæ anno* 1684. *de D. Thoma, apud Raphaelem Figuerò. Legatur Arriaga tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 14. 306

PVNCTVM XXI.

OSTENDITVR ADVERSARIOS, CONTRA PRÆdeterminationem, & gratiam efficacem ad se Dominicanos trahentes plures, inniti fabulis, & armari commentis.

OBIECTIO.

In septem classes distribuo Thomistas. Prima classis est eorum, qui omnino rejiciunt præfatam doctrinam, & has prædeterminationes odio habent. *Sic Aranda lib.* 13. *disp.* 64. *sect.* 2. §. 2. *num.* 104. *Vbi nominat D. Thomam, Cayetanum, Sotum, Hieronymum à Bononia, Romæum, Catharinum, Mag. Turcum, & alios; quorum Syllabum ex Henao Doct. Collados, in suo Codice apologetico, repetit.*

RESPONSIO.

307 MOnendus est Lector verbis Augustini contra Adamant. cap. 4. scribentis:* Particulas quasdam eligunt, quibus decipiant imperitos, non connectentes, quæ suprà, & infrà scripta sunt, ex quibus voluntas, & intentio scriptoris possit intelligi. *Qui legit, intelligat quæ scriptor intendit. Et quia Mag. Ferre, plures in examen vocavit Doctores nostros, ut exuflaret, quas P. Henao enarravit fabulationes, circa illos non immorabor; benè tamen circa illas, quæ Ferre minus expressit, & Doct. Collados, confidenter recantavit.*

308 *In primis Cayetanus, qui Thomistarum Aquila à P. Aranda, ibi nominatur citatur contra nos* 1. *part. quæst.* 14. *art.* 13. *ubi nihil contra doctrinam Thomistarum, sed in favorem adducit. Similiterque quæst.* 19. *art.* 8. *ubi expendit doctrinam D. Thomæ circa efficatiam divinæ voluntatis, modo à Thomistis sæpius explicato. Deinde quæst.* 22. *art.* 4. *ad* 1. *ait:* Difficile non est salvare naturam causæ liberæ, cùm prædicta infallibilitate divinæ providentiæ; eò quia hujusmodi infallibilitas, nihil dat, vel aufert causæ ad utrumlibet. *Lege ibi, & mirare. Magis autem, si legas comment. in Matth.* 4. *v.* 21. *Vbi loquens de vocatione Petri, & Andræ, Iacobi, & Ioannis, ait:* Nec est mirandum, quòd isti, & illi statim secuti fuerint Jesum, quia interiori operatione Jesus movebat, motione non invitatoria (*hæc est moralis*) sed efficaci (*hæc est Thomistica*) corda eorum ad relinquendum omnia, & sequendum ipsum. Tali enim attractioni interni spiritus, nullus unquam restitit, nullus etiam resistet unquam, quia efficit voluntarium sectatorem, &c. *Accomoda hoc contra prædeterminationem physicam, contrapositivè ad moralem.*

306 *At si dicat Henao event.* 40. *num.* 882. *circa* 1. *part. quæst.* 14. *art.* 13. *ad* 1. *& quæst.* 19. *art.* 8. §. ad primam rationem: estque dignum notatione, fuisse in editione Antuerpiensi anno 1612. omissa

ver-

verba illa: cum aliquis vult aliquid. *Certè illa verba legimus in editione celebri S. Pij V. facta mandato, in editione Veneta, & alijs subsequentibus; quæ non officiunt Scholæ Thomisticæ, cum ibi Cayetanus distinguat motionem, ut salvet radicem contingentiæ, & dicat* : Non enim causa secunda movet ob hoc præcisè, quia movetur, sed etiam ex virtute propria. *Lege ibi Cayetanum disputantem de radice contingentiæ.*

Capreolus, antiquus Thomista, contra nos inducitur in 1. dist. 1. q. 2. art. 1. concl. 5. & art. 3. in resp. ad 4. & 5. & dist. 24. quæst. unica art. 3. ad 6. arg. ubi ait : Voluntas, quantum est de sua natura est ad opposita; ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id quod vult, & ita non indiget alio determinante. *Hæc verba, evolvens locum citatum non inveni; sed tamen ex illis, quid contra nos? Loquitur enim Capreolus, ut D. Thomas. Et patet, quia ibi, in editione 1589. Venet. pag. 421. dicit de voluntate*: Non reducitur ad actualem determinationem in rerum natura, quoad sui esse à quacumque potentia creata distincta à voluntate, sed tantumodò à Deo, & ab ipsa voluntate, quia ab illis duobus solis dependet actus, quantum ad suum esse, vel non esse. *Attende nunc, si illa verba* : Non indiget alio determinante, *excludunt Dei prædeterminationem. Et trahe Capreolum invitum, contra Thomistas.* 310 **De Capreolo.**

At non omittam, Copulata *Collegij Conimbricensis Soc. Iesu in 2. Phys. cap. 7. quæst. 13. ubi legitur*: Circa modum, quo Deus cum causis secundis ad eorum operationes, & effecta concurrit, discutienda se offert celebris opinio D. Thomæ 1. part. quæst. 105. & 1. 2. q. 109. art. 1. & quæst. 3. de potentia art. 7. ejusque Sectatorum, Capreoli in 2. dist. 1. Ferrariensis lib. 3. contra Gentes cap. 70. & aliorum existimantium omnes causas secundas, antequam operentur, accipere à Deo influxum quendam, & motum, &c. Eo modo, quo artium instrumentum, ut dolabra, & securis præviam motionem à Fabro accipiunt, cum ad opus faciendum applicatur. *Sufficiat hoc nobile testimonium, D. Thomæ, Capreolo, Ferrariensi, & alijs Dominicanis attribuens; ne amplius immoremur circa Ferraram; qui 3. contra Gentes, cap. 159. etiam ait circa medium* : Nullus est, qui à Deo non moveatur ad bonum, &c. *Lege ibi. Pro M. Deza. Vid. Ferre in 2. tomo. Et mittimus lectorem, ut percurrat loca ab Adversarijs citata, in quibus, vel nihil inveniet ad rem, vel in favorem nostrum omnia scrutabitur.* 311 **De Ferrara.**

Forerius citatur à P. Tyrso, satis frivolè, contra nos; eo quod in Isai. 5. v. 4. Quid ultra debui facere, &c. *ait*: Hæc est Domini causa, hæc quærimonia. Qui autem sic interrogat, certus est, quod nihil ei objici possit. *Hoc dixit Forerius, & cum illo, Thomistæ, & Iesuitæ, id ipsum proclamabunt. Mirum etiam est quod Mag. Cano inducatur contra nos ab Henao event. 40. num. 889. dicente*: Noteturque Araujum 1. parte quæst. 19. art. 10. dub. 2. num. 45. §. tertia sententia pag. 518. allegare Canum pro sententia negante Deum prædefinire omninò positivè, aut sic prædeterminare physicè ad materiale peccati; pro qua sententia recenset etiam Capreolum, Ferrariensem, Cayetanum, &c. *Ibi* 312 **De Forerio. Cano.**

Ara-

Araujo, ex ipsis ponit: Pro cujus declaratione, dico 1. Deus actus malos moraliter, etiam intrinseca malitia gaudentes, absoluto, & efficaci Decreto, quoad entitatem actus, ab æterno prædefinivit. *Et statim ponit secundam conclusionem, in qua distinguit* concurrere *in peccato* positivè, & permissivè, *quod omnes dicimus, Thomistæ.*

313 Herveus. *Herveus, inducitur, in 2. dist. 25. Mortuus est hic vir anno 1323. aliquot post annos, cum Ordo noster suscepit doctrinam D. Thomæ universaliter; & si lector velit locum citatum percurrere, nec aliquid hanc nostram concernens materiam poterit invenire. Ipse enim, sicut & Deza noster, qui eodem modo citatur, ait voluntatem ad primum actum non se determinare, sed unicè à Deo, modo quo dicitur à Thomistis de prima actione Angeli. Sic Conradus legatur, in loco ab Adversarijs citato, & satis mendosè, ut lector idem experiatur.* Hieronymus à Bononia, testatus apud Joannem de Bononia tract. de Prædest. pag. 113. rejectas esse à Concilio, cui interfuit, tridentino, prædeterminationes has physicas. *Sic Aranda. Suspicari licebit, Concilium vaticinio quodam, Bañes impugnare, cum apud Adversarios Bañes dicatur inventor prædeterminationis physicæ, & tempore concilij esset juvenis Alumnus Scholæ.*

Conradus. Hieronym. à Bonon.

314 Bellovacens. *Vincentius Bellovacensis, satis festivè additur à D. Collados pag. 37. bis verbis:* De este mismo expresso sentir es, Vicente Velbacense, Thomista rigurosissimo; y que sus sentencias las tienen todos los Eruditos, y Doctos, por muy conformes al Ang. Doct. Santo Thomàs, en el tom. 1. en el libro 29. speculi naturalis, cap. 6. *Certè prædictus Doctor, non satis apparet à suis instructus; cum plures Iesuitæ, inter quos novissimè Pater Marin tom. 3. disp. 2. sect. 5. primam secundæ, & secundam secundæ (quamvis falsò) contendit, sub dubio, debere adscribi Bellovacensi, utpotè antiquiori, & pluribus annis D. Thomæ præcedenti. Unde ergo vocatur Bellovacensis:* Thomista rigorosissimo? *Cum tunc temporis, nec nomen Thomistæ apud homines insonuerit. At scrutemur, quid Bellovacensis ibi dicat. Nihil certè invenies, nisi impertinens ad Scholas, quamvis totum caput percurras. Mirare iterum lector Adversariorum incuriam, in Auctorum locis percurrendis; cum enim Ill. Araujo, tanquam nostræ doctrinæ terribilis prædicetur Adversarius, in Codicibus manuscriptis, & prælo datis, semper citatur, prout vidi, 1. 2. quæst. 111. cum tamen id quod ex illo objiciunt, sit, quæst. 109. art. 5. ut etiam notavit Mag. Pozo pag. 98. contra D. Collados.*

315 M. Vincent. *Ioannes Vincentius, apud Henao event. 7. num. 173. contra nos affertur, ex Suario de Gratia tom. 2. lib. 5. cap. 10. num. 1. ubi ait:* Ex Theologis autem Dominicanæ Familiæ refertur, Joannes Vincentius docuisse, tale auxilium non esse necessarium, &c. *Lege titulum à Suario affixum sic:* De motione, vel qualitate prædeterminante physicè in actu primo. *Quid ergo mirum, quod negaret talem prædeterminationem physicam* in actu primo, *quam prout sic negant communiter Thomistæ? Ipse autem vocat auxilium* moraliter *prædeterminans, qualiter diximus de Araujo, & pluribus Scotistis.*

Mag.

M. Victoria, Cani, & Soti Magister, citatur contra nos ab Henao, in Relect. de homicidio, §. & primo quidem. *Lectorem rogo, ut percurrat, & videat, ibi defendere inclinationem naturæ humanæ non esse ad malum, quia tribueretur Deo, sicut motus gravium, & levium. Sed quid hoc, contra nostram sententiam? Citatur contra nos iterum in Relect. de pervenientibus ad usum rationis num 4. proposit. 3. & num. 6. propos. 5. Lege ibi, & nihil invenies contra nos, imò plura doctrinæ nostræ cohærentia; cum tamen agat potius de libertate quæ reperitur in amentibus, & dormientibus. Sed mirabilius est, quod Mag. Dominicus Soto, inducatur ab Henao event. 15. num. 415. in Concilio Tridentino favens opinioni Societatis, de qua nec mentio facta fuerat in orbe litterario. At ejus verba profert lib. 1. de natura, & gratia cap. 15. ubi impugnans Luteranos, ait:* Quin etiam sunt inter Catholicos, quos viva voce dogma hoc asserentes, nobisque reclamantibus defensantes audivimus; puta, quod Deus, quadam nos vi, & necessitate ad se pertrahit; itaut, in nostra, nos, conversione, merè habeamus passivè, & receptivè, de quo id circo S. Synodus Sess. 6. &c. *Quis unquam Thomistarum dixit, voluntatem merè passivè se habere? Hoc damnavit Concilium. Ideoque Soto, ibidem utitur distinctione sensus compositi, & divisi, quæ distinctio, in hoc puncto, argumentis contrariorum applicatur. Legatur Ferre; & ipse Soto ad lib. 3. Phys. quæst. 1. art. 2. qui citatur à Theofilo Raynaudo.* 315 De M. Victoria. De M. Soto.

Mag. Gonzalez de Albelda, quasi Prædeterminationis physicè desertor traducitur. Legatur Antonius Mausolieu in D. Thoma sui Interprete tom. 2. dissert. 3. quæst. 6. & simul M. Ferre, advertens, concedere Gonzalez præmotionem, non ut qualitatem, sed ut motionem subitam. Legatur 1. p. quæst. 15. disp. 58. lect. 3. num. 34. dicens: Gratiæ prævenientis, præmoventis quasi physicè: : nomine enim præmotionis physicè, aut quasi physicæ. *Ubi ly* quasi *denotat, non esse per modum naturæ, ut aliqui intelligebant. Vide num. 10. & 11.* 316 Albelda.

Mag. Fr. Thomas de Lemos, contra prædeterminationem trahitur, ab Aranda, & aliis, sicut novissimè à D. Collados in suo Codice pag. 39. dicente: El Maestro Thomàs de Lemos, que, como refiere Caramuel en su Theologia fundamental, provoca à los Thomistas, à que le prueben las physicas premociones. *Hoc dixit, ex P. Ortega Cert. de Decret. disp. 1. quæst. 5. cert. 2. num. 3. Hoc mendacium seipso corruit. Scio Caramuelem lib. 1. Theol. Fund. cap. 1. fundam. 1. thesi 3. scripsisse:* Thomistarum est nobis ostendere, an non Pater Lemos, olim Romæ physicas prædeterminationes esse contra D. Thomam, docuerit. *Hoc Caramuel non assertivè, sed quasi interrogativè protulit, & dubitanter, nihil definiens; imò & ignorans, quæ Lemos docuit, cum ejus volumina physicæ Prædeterminationis sint testimonia. Mag. Lemos nullum munus habuit Romæ publici Doctoris, nisi coram Clem. VIII. & Paulo V. in quorum conspectu acerrimus fuit physicæ Prædeterminationis Propugnator. Imò constat scripsisse, post controversias, tractatum, de hac voce:* Physica Prædeterminatio, *quem obtulit Paulo V. & apparet in Bibliotheca Minervitana.* 317 Lemos.

218 Romeus. *Franciscus Romeus Mag. Generalis Ord. Præd. adducitur ab Henao event.* 15. *num.* 435. *Quia in venerationem S. Ignatij, & ejus Societatis, Collegiorum fovebat erectiones, sed favor ille usque ad Molinæ opiniones non fuit extentus. Imò lib. de libertate operum, verit. 7. ait: Motionem Dei esse applicationem, & virtutem, qua Deus primò, operatur, & efficatius, quam causa secunda.* Navarrete. *Mag. Navarrete, qui nobis contrarius etiam affingitur, legatur tom. 2. controv 25. sect. 5. conclus. 13. pro quo vid. Ferre.*

319 Ori. *Mathæus Ori, apud Henao event.* 15. *num.* 436. *celebratur* Generalis Vicarius Congregationis Gallicanæ, ac simul per universam Galliam Generalis Inquisitor, Pœnitentiarius 4. Pontificum, Ecclesiastesque insignis, cujus memoriam celebrant Annales Societatis nostræ part. 1. lib. 1. num. 70. & 98. lib. 2. num. 51. ob humaniter perhonorificèque tractatum S. P. Ignatium delatum ad se Parisijs; & ob præclarum, quod de ejus probitate, ac virtute præbuit in urbe testimonium. Deza. *Videatur Ferre agens de isto viro tom. 2. num. 41. sicut de Ill. Deza, quem Henao fingit contra nos in 1. dist. 40. quæst. unica art. 3. notabili 4. ubi lector inveniet, scribere ut legitimum Thomistam, & D. Thomæ testimonijs uti, ad defendendam infallibilitatem præscientiæ divinæ, & libertatem voluntatis creatæ.* Nicolai. *Adde, pro M. Nicolai, quod D. Collados, aliorum æquivocationem secutus, in 2. Cod. pag. 4. scribit, sic:* Solo pondrè porque viene bien la exclamacion del Dominicano Juan Nicolai, contra los Dominicanos Españoles, que comunmente defienden, que Dios predetermina al material del pecado. *In 2. Sent. dist. 37. q. 2. art. 2. ad marg. in corp. art.* Vah male feriatos, qui & portentum illud pro Thomistico jactent. *Et ad* 5. Nec Thomista putatur esse, qui hæc monstra non credat; aut non assentiatur fingentibus. O calumniam cœcam? *Quia ibi loquitur contra aliquos, Auctores constituentes peccatum in positivo, sic:* Nam, si (*actiones*) malæ, ut positivæ, aut si positivæ, ut malæ necesse est, ut à Deo malum, aut non à Deo, positivum aliquod esse asseratur. *Ideoque reprehendit prædictos Auctores. Vt autem appareat, quàm inutiliter contra nos adducatur, legatur notans 1. part. quæst. 105. art. 3. ubi D. Thomas ait:* Hoc ipsum quod causæ secundæ determinantur ad suos actus est illis à Deo. *Et 1. 2. quæst. 10. art. 4.* Quia voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat. *Mag. Nicolai, inquam, in hoc loco subjungit:* En quàm indignè quidam negant, quod S. Thomas præmotionem, vel prædeterminationem agnoverit. Quid est, enim, determinari, vel moveri voluntatem à Deo, ut agat, nisi ab eo præveniri? *Agnosce lector, qualiter hic Magister contra Scholam Thomisticam inducatur, in eodem loco in quo, statuit dogma Thomisticum; & solum impugnat constituentes peccatum formaliter per aliquid positivum.* Nat. Alex. *Adjungi velim Natalem Alexandrum, quem Patronum Adversarij volunt, eòquod in Hist. Eccles. dixerit opinionem Molinæ longè esse ab errore Semi-Pelagianorum. At ipse, in epist. directa ad PP. Societatis, mentem suam expressit; & in sua Hist. Sæculo 5.*

in Synopsi cap. 3. art. 3. §. 13. expressè ait: Molinianam opinionem esse contra S. Augustinum.

Iam solemne agredior certamen, circa fabulam recantatam à contrarijs, & qua Tyrones in suis Codicibus imbuuntur, de Magistro Generali Ord. Prædicatorum Fr. Thoma Turco Cremonensi, quem novissimè citavit P. Fr. Iosephus de Madrid, Lector Theologiæ, & actualis Diffinitor Sanct. Provinciæ S. Ioseph Discalceatorum S. Francisci in Castella nova, approbans Codicem D. Collados, pro suo D. & Amico Emmanuele Muñoz. Hanc, ergo, fabellam, recitat, & replicat ex P. Assermet, Ordinis Minorum qui contrà efficatiam gratiæ apertè pugnavit, & ex P. Henao, qui hoc diffusè tentavit quasi verum proponere; simulque ex Henrico Cerf asserente, Mag. Fr. Thomam Turcum publicè dixisse: S. Thomam omninò à physicis Prædeterminationibus alienum esse. *Simulque Parisijs dedisse dexteram P. Bagotio, arguenti contra Prædeterminationem. Fabella igitur sic fuit contexta; quia, scilicet in Thesibus publicis Capituli Generalis Ord. Præd. Valentiæ in Hispania Tarraconensi anno 1647. Mag. Turcus dixerit Fr. Antonio Reginaldo Theses defendenti pro suà Tholosana Provincia:* Fateor, præderminationes physicas, esse doctrinam plurium Thomistarum; sed à S. Thomà longè aberrantium; quibus, si mihi ostenderis, S. Thomam alicubi favere, promitto tibi Magisterium. *Pro cujus testimonio P. Gabriel Henao in Empyreologiæ suæ proloquio 9. num. 35. citavit instrumentum publicum, fide Notarij, & testium roboratum, de quo infra. At, cum hoc mendacium colore veritatis fucatum, ad aures ipsius Reginaldi pervenisset, seriò colloquio præcedente, vissum est ejus Prælato, Conventus Tholosani Priori, quod ipse Reginaldus, secundum formulam juris, & sub juramento, rei gestæ in illis Thesibus, posteris faceret fidem. Quod & fecit, asserens, quæstionem illam fuisse, non de physicà prædeterminatione, sed de physica præsentia futurorum in æternitate; & post narrationem concludit:* Declaro, itaque hanc narrationem, quantum ad id quod dicit de Prædeterminatione physica, falsam omninò esse. Nullo enim modo agebatur de Prædeterminatione physica. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. *Et signatum erat: Fr. Antonius Reginaldus. Deinde sequitur testimonium Archi-Diaconi Vicarij Generalis, de ipso juramento in suis manibus præstito, & concludit:* In cujus rei fidem, his sigillo nostro munitis subscripsimus die 10. Septembris 1674. *Et signatum erat:* Du Four Vicarius Generalis. Fr. Joannes Franciscus du Four Prior Tholosanus. Ego Raymundus Dangla Præsbyter, & Ecclesiæ Tholosanæ habituatus præsens. Ego Jacobus Brouse Præsbyter, & in Ecclesia Tholosana habituatus præsens. Sauvestre Notarius Apostolicus.

320 *De M. Turco*

Reginald.

Testimonium

Secutus fuerat testimonium P. Henao, Henricus Cerf Professor Iesuita; unde Iosephus de la Verdure, in Duacena Academia Regius Professor, scire volens; quid rei esset, direxit litteras Ill. Ambrosio Capello Episcopo Antuerpiensi, qui Socius fuerat R. P. Turco adjunctus, & sic respondit: Admodum R. & Eximiè Domine: traddidit mihi Socius Provincialis Fratrum Prædicatorum litteras vestras, &c. In hac responsione satis prolixa, dicit: Non 321 *Cerf.* *Ill. Capello.*

fac-

factam fuisse mentionem de physica prædeterminatione. Tum etiam Turcum fuisse acerrimum defensorem illius; itaut propter lectionem D. Sylvij de motione primi Motoris voluerit visitare ipsum D. Sylvium, ut fecit, Duaci, in suo Collegio, gratias ei agens, de illo opusculo. Imò dicit, quod si reperisset aliquem subditum contraria sentientem, absolvisset ab omni gradu. Et concludit: Hæc sunt quæ ad litteras eximiæ dominationis vestræ, veritatis intuitu, respondenda putavi, &c. Ambrosius Episcopus Antuerpiensis. *Habetur epistola apud Ioannem de S. Dominico, in compendiariæ Theologiæ moralis explicatione, pag.* 210.

322 *Ipse Præsul publicam fidem fecit, ad instantiam Fr. Francisci Iansens Elinga, Ord. Præd. Studiorum Regentis, cujus initium est.* Fr. Marius Ambrosius Capello, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Antuerpiensis, omnibus has visuris, salutem, &c. Ad requisitionem, & supplicem instantiam, &c. Datum Antuerpiæ die 27. Novembris 1674. Fr. Ambrosius Capello Episcopus Antuerpiensis, ex Ord. Præd. assumptus. *Legatur ipse Iansens Elinga, in opusculo cujus titulus*: Veritas manifestata, *edito Antuerpiæ anno* 1675. *ubi exponuntur oculati testes; Vincentius Baronius in epist. ad R. P. Martinum Harnai Professorem Lovaniensem. Prior Conventus Valentini, cum subscriptione duorum Magistrorum, in epistola data die* 20. *Februarij* 1674. *in qua intendunt falsi crimen, adversus testes productos à P. Henao, qui fuerunt M. Pertusa, Ord. S. Trinitatis ætatis suæ* 40. *Ioseph Leonardus Presbyter, Rector S. Catharinæ. Gaspar Tabuenca Presbiter, ætatis suæ* 48. *Franciscus Campos Presbyter, ætatis suæ* 38. *juxta Instrumentum allatum à P. Henao.*

323 **Instrumentum fictum.** *Siste Lector, & considera Instrumentum confictum, quod se ipso ruit. Vt autem ex ore, & scripto suo judicemus P. Henao, legamus ipsum event.* 8. *num.* 182. *ubi fatetur, suum, circa hoc scriptum, ut confictum fuisse despectum Duaci, & Lovanij, & ait*: Rescripsi, fuisse à me lectum in Auctentico Instrumento, quod Salmanticam misit P. Felicianus Pasqualis nostræ Societatis, meus in Theologia Condiscipulus, qui præsens fuit conclusionibus, in quibus R. Generalis protulit verba illa; sed quia mortuo P. Bernardo de Aldrète, inter cujus schædas præfatum instrumentum extabat, non jam inveniebatur, curaturum me, ut simile aliud conficeretur denuò apud Valentiam Cidi, &c. *Statim exponit Instrumentum Valentiæ efformatum; cujus verba percurram, ut lector pijs considerationibus, vel mendacium reprobet, vel veritatem capiat. Et primò. Notabilis fuit incuria circa custodiam prioris Instrumenti, ita prætiosi, quod ad promulgationem, per orbis Academias, deserviret. Deinde: verba sunt valde diversa, & aliter sonantia, in* 1. *&* 2. *Instrumento; unde suspecta est fides. Sed lege petitionem Syndici* coram justitia in civilibus, præsentis Civitatis Valentiæ,&c. *Quæ hujusmodi exponitur à P. Henao*: P. Ludovicus de Tapia, Syndicus Collegij D. Pauli Societatis Jesu, præsentis Civitatis Valentiæ Coronæ Aragonum, proponens meliori modo, quo potest; asserit, quod R. P. Fr. Thomàs Turcus, Generalis Prior Ord. S. Dominici, in Generali Capitulo anno 1647. mense Maij, in Civita-

P. Tapia.

te Valentia Coronæ Aragonum habito, adesset conclusionibus, in quibus frater ejusdem Ordinis ex Provincia Tholosana, &c.

Circa hæc nota, quod apud nos, Generalis Magister *vocatur, & non* 324
Prior. *Deinde nomen fratris non exponitur, cum faciliter posset haberi ex Actis, quæ prælo mandantur, vel ex Gallorum litteris; quod utique ad Instrumentum authenticum desideratur. At nunc siste, & mendacium solemne perpende.* In Capitulo Generali anno 1647. mense Maij. *Nam Capitula Generalia nostri Ordinis sicut, & aliorum, communiter, celebrantur in festo Pentecostes; & quidem in tali festo fuisse celebratum illud à M. Turco Valentiæ constat ex Actis prælo datis, quæ cujuslibet oculis objiciam, si velit ea legere. Festum autem Pentecostes, anno illo 1647. non incidit in mense Maij, sed Iunij, hujus mensis die 9. ut ex tabulis Missalis, & Breviarij patet. At in puncto delicato, & quod, ad vitandum mendacij solemnis nævum tractabatur juridicè, mutatio mensis, absurdè potest tribui errori Typographorum. Maximè cum testis 3. dicat conclusiones illas fuisse habitas* in uno, ex tribus diebus festivis Paschæ Spiritus S.



Subjungit Petitio Syndici. Argumentum propositum fuit per Excellentissimum D. D. Ludovicum Crespi de Borja, Episcopum Plasentiæ, Legatum per suam Majestatem Regis Domini nostri Sanctitati Alex. VII. tunc Præpositum primarium: & Cathedraticum Sacræ Theologiæ,&c. *Et addit, quod assumpto illius argumento de Prædeterminatione, Mag. Turcus*: Semel, & iterum dixit illi: ostende mihi locum S. Thomæ, in quo physicam Prædeterminationem defenderit, & creabo te Magistrum in Religione, contra Constitutiones tuæ Provinciæ. *Nota primo, quod hic modus loquendi non est apud nos; nunquam enim nominamus* Constitutiones *nisi pro toto ordine; & deinde verba M. Turci apud testes, diverso modo proferuntur; ideoque testis primus melius expressit, licet non ad rem*: Contra jus tuæ Provinciæ. *Sed veniamus ad testes; quorum primus dicitur*, ætatis 40. annorum parum plus, vel minus. *Secundus testis*: ætatis 38. annorum parum plus, vel minus. *Tertius testis*: 48. annorum, parum plus, vel minus. *Quartus testis*: ætatis suæ 38. annorum, parum plus, vel minus. *O testes, quorum nullus ætatem suam certò profert! Ego judico esse ly*: minus. *Sed, omni malitia semota, cum tamen Instrumentum illud fuerit efformatum, & signatum per scribam Curiæ die 24. Iulij 1662. Illi testes non erant provecti, anno 1647. in quo Theses fuerunt habitæ, ob quindecim annos intermedios. Quare igitur P. Tapia Syndicus, in Civitate amplissima, in qua plurimi erant ex omni ordine Magistri, tempore Capituli, jam Provecti, hos non vocavit, ut fidem facerent! Quare sollicitè illos quæsivit, qui vix poterant, nisi à longè, & sine perfecto sensu, verba Magistri Generalis percipere? Iam ergo Instrumentum toties recantatum, & fastidiosè rescriptum, seipso, apud Cordatos, ruit. Sic testati sunt, Prior Conventus Valentini, & MM. Fr. Matthæus Baeza, & Fr. Marcelus Marona, qui duplicem renuit acceptare Mitram, ut testes oculares, & tunc lectores Thesibus assistentes. Sic etiam Fr. Vincentius Baronius, Inquisitor Tolosanus, ob sua scripta notissimus, in litteris* — *Testes.*

 datis

datis 15. Septemb. anni 1673. & directis M. Fr. Martino de Arnay, Doctori Lovaniensi.

336 M. Turcus. Thomista. *Præterea M. Turcus, legit Theologiam, & dictavit Bononiæ, & Cremonæ in publicis Gymnasijs; cujus Codices apparent hodie in Bibliotheca Cremonensis Conventus, adjuncti volumini foliorum 833. ipsius manu exarati; quos desloravit ad rem nostram, publici scribæ manu contrectatos, & recognitos Fr. Antoninus Mausolié; & ex illis plura transcripsit,* in D. Thoma sui interprete *tom. 2. dissert. 4. quæst. 3. art ult. In illo igitur volumine à fol. 392. usque ad 426. hæc leguntur:* 1. conclusio: Deus non prædeterminat voluntatem hominis ad malum formaliter:: 2. conclusio: Deus prædeterminat voluntatem hominis ad substantiam actus peccati,&c. Ab hac veritate sola auctoritas Ecclesiæ, cujus censuræ submissi istam Doctrinam, & comitto me, poterit me removere, &c. 3. conclusio: Deus auxilio efficaci præveniente prædeterminat nostram voluntatem ad actus liberos bonos ordinis naturalis, quantum ad rationem particularem suorum objectorum. Hæc conclusio videtur mihi expressa in multis locis Sacræ Scripturæ,&c. In corroborationem hujus poterant adduci omnia loca, D. Thomæ, quæ attulimus quæst. 79. art. 1. dub. 2. concl. 1. quibus consonat alius locus D. Thomæ hic quæst. 109. art. 1. ubi ait: Quod Deus prius natura movet, & applicat voluntatem liberam ad suam operationem, quam ipse operetur. Idem probat clarissimè quæst. 22. de verit. art. 8. in corp. *Hæc scripsit Turcus, contra Scholam Thomisticam toties aclamatus. Legant Critici, & qui usque ad apices in examen omnia trahunt.*

337 *Si autem aliquis recurrat ad mutationem sententiæ post annos suæ lecturæ. Mirum esset planè, quod Magister Generalis suos Codices non emmendaret, & novos, non proferret. Imò constat, quod ipso anno 1649. in quo* Mors ejus. *mortuus est. (die 1. Decembris) approbavit expressè,& defendi curavit per Fr. Alexandrum Seville, Lovanij, Theses de libero hominis arbitrio, in quibus tota doctrina Thomistica explicabatur. Demus autem, quod Mag. Turcus dixerit, id quod contrarij intendunt. Quid ad rem? nonne pluries, ut vidimus, disputantis verba, non sunt mentis sententia? Nonne pluries, aliquod præmium discipulis promittimus, si locum demonstrent, in quo sit doctrina ipsa quam approbamus? Memini, quod cum puer essem Mag. quidam, aliquale solatium mihi obtulit, dum modo exponerem, & designarem Psalmorum versum, circa* Sanctorum communionem. *Signavi illum:* Particeps ego sum omnium timentium te, &c. *Et præmium habui. Forte ille dubitabat de sanctorum communione in illo versiculo contenta? Quid ergo mirum quod M. Turcus, virum Gallum tentaret, circa locum in quo D. Thomas diceret, futura cognosci in Decreto? Abite, & silete. At frivola est objectio de manu data Bagotio. Ego pluries in Academia, post Theses, in signum benevolentiæ manus dedi viris scholæ contrariæ, & adversus meas, suas defendentibus sententias. Denique: de isto viro dixit Pontifex, post illius mortem, fratribus nostris :* Non habebitis quartum Thomam.

Hen-

Henricus de Cerf, opusc. de mente S. Thomæ *circa physicas prædeterminationes, cap.* 3. *ab Eleutherio transcripto; narrat ex Galtrucio Iesuita, P. Bagotium scripsisse P. Iacobo Platellio, sic*: Anno 1664. post Pascha, in magno Conventu PP. Dominicanorum, via Jacobea, propugnatæ sunt, præsente R. P. Turco, Theses Theologicæ, ad quarum opugnationem invitatus, prædeterminationes physicas impugnavi, hoc argumento, &c. *Et quia Cerf, dicit à se visam epistolam, consideret lector fabulam, ipsius testimonio constructam. Primo obijt M. Turcus die* 5. *Decembris anni* 1649. *cujus successor electus est M. Fr. Ioannes Baptista de Marinis anno* 1650. *Ex quo oritur quod resurrexerit Turcus, ut adesset illis Thesibus habitis post quindecim annos à sua morte, scilicet, anno* 1664. *Deinde: Cerf ait, litteras directas esse P. Iacobo Platellio die* 10. *Ianuarij* 1664. *à P. Bagotio, qui jam narrat Theses habendas post pascha in ipso anno* 1664. *Et hoc legit, hoc vidit Cerf Cancellarius Duacensis. O Commentum, se ipso ruens! Hoc legerit P. Henao, qui in præfat. num.* 20. *ipsum narrat. Ne autem in his modus procedendi aliquorum, in scholis litigantium, in dubium veniat, dicam planè, quod annis proximè elapsis, accidit Cæsaraugustæ. Cum enim Cathedra disputaretur, & scholasticorum suffragia, aquolibet oppositore, avidè in sui favorem, haberentur, pro cursus aliquorum approbatione; visum est testimonium auctenticum, in quo D. Franciscus Orti, & Figuerola Præsbyter, S. Thom. Doctor, Canonicus S. Metropolitanæ Ecclesiæ Valentinæ. & illius* Universitatis *Rector, ex depositione Ioannis Calpe S. Thomæ Doctoris, & Iosephi Martinez de la Raga Studentis, Ioannis Baptistæ Belda, & Augustini Sales, aliorumque testium medio juramento deponentium respectivè, approbantur Cursus plurium, in prædicta* Universitate, *ut sic essent idonei, quoad suffragia Cæsaraugustæ exhibenda.* Quod est actum Valentiæ die 18. mensis Octobris, anno à Christo nato 1729. D. D. Franciscus Orti, & Figuerola, Canonicus, & Universitatis Valentiæ Rector. In quorum fidem: ego Joseph Franciscus Inglada, Notarius publicus, qui loco scribæ Senatus illustris Valentinæ Urbis, & dictæ Universitatis Secretarij appono Sig ✠ num. 338 *Cerf.*

At postea probatum est juridicè, aliquem ex illis in toto anno, uno ex- 339
tribus ibi præcitatis, in Academia Oscensi, studijs vacasse. Quia, similiter diximus de Illustrissimo Araujo, quem nobis oppositum replicant Adversarij; num. 11. *& infra, examinandus venit Campanela noster, quem repetit P. Fr. Iosephus de Madrid, ex suo Assermet tract. de gratia part.* 1. *cap.* 4. *concl.* 2. *fol.* 343. §. quamobrem Thomistæ, antiquiores. *Quia in lib. de Prædest. & Reprobat. art.* 1. *ait*: Thomistas Prædeterminantes esse Pseudothomistas; propterea quod ocasionem Calvinistis præbent Typis mandandi concordiam vigere inter D. Thomam, & Calvinum. *Hic Campanella noster à contrarijs, usque ad nubes atollitur, dum agit contra Prædeterminationem; & usque ad humum deprimitur, dum contra gratiam congruam procedit. Quis autem ille fuerit, non Dominicanorum, sed Iesuitarum exponam suffragijs. Theophilus Raynaudus Iesuita in suis Diatribis* §. 57. *hæc scripsit*: Existimo, quod Cyriaci, æquè ejurabunt Fr. *Campanela.* *Raynaud.*

Tho-

Thomam Campanellam, quia, tametsi visus sit per aliquod tempus cymbalum Mundi, tamen, re vera, est ignorantissimus, itaut, ne ipsos quidem terminos, sivè Philosophicos, sivè Theologicos intelligat. Sententias autem invehit, non modo, à S. Thoma, sed etiam à sensu cujusvis sani hominis adeo abhorrentes, ut desipere potius videatur, quam disserere. Hæreses crassæ in ejus libris, tam multæ, & tam in excusabiles occurrunt, ut mirum sit adeo pinguem scriptorem, superioribus annis invenire potuisse Laudatores. *Hæc Raynaudus de nostro Campanella.*

340 *Palavic.* *Aliud insigne, licet non tam acre, Card. Palavicinus Iesuita, exhibuit testimonium de Campanella dicens in lib. inscripto*: Vindicationes Societatis Jesu: Thomas Campanella Dominicanus, vir, qui omnia legerat, omnia meminerat, prævalidi ingenij, sed indomabilis. *Quid ergo mirum quod vir ingenio indomabilis, ad libitum scribat, ut legis fræno non cohibeatur? Certè Campanella, cum esset junior, scripsit minus recta de divina gratia, sed constat ex part. 2. Metaphis. lib. 9. cap. 13. art. 1. pag. 229. quod senior mutavit sententiam, sic enim habet*: Qua in re cum multa meditarer, & S. Birgitæ revelationes legerem, in lib 5. quæst. suspendi sententiam, & divinam expecto illustrationem. Illud tamen inconcussè sustineo esse in nobis libertatem ad volendum, & nolendum, & auxilium, ut entitas addita est, non fieri à nobis efficax; nullam enim entitatem dare possumus, nisi à primo ente, & cum primo: ergo fieri efficax à Deo effectivè, à nobis vero meritoriè tantum, ex virtute tamen prioris gratiæ, quam non respuimus, sed cooperamur acti ab ea, sicut liberi à Patre, non sicut servi à Domino. *Hæc Campanella, qui etiam Prædestinationem ex prævissis mæritis tribuit Origeni, & ante prævissa mærita, Augustino, Prospero, Hilario, Fulgentio. Ex quo habes, quod si erat vir, ut à Theophilo, & Palavicino describitur, in nulla schola auctoritatem venatur; si autem Auctor erat æstimatione dignus, quod Iunior scripserat, senior retractavit, circa gratiam, & constans fuit in refutanda scientia media. Illud opus à nobis citatum fuit postremum, sub quo sensu mortuus est Parisijs jam septuagenarius.*

341 *Vita.* *Iosephus à Vita Dominicanus, pleno ore, à contrarijs laudatur, ut acerrimus Prædeterminationis Impugnator; & in novissimo Thomistarum Elencho dicitur*: Bannesianæ Prædeterminationis eversor. *Primò, igitur, velim monitum lectorem, hujusmodi fratrem Capitosum, edidisse librum, cujus lucem publicam prohibuit Mag. Generalis Fr. Ioannes Thoma de Rocaberti, die 8. Septembris 1673. per litteras, Priori Conventus Panormi, cujus erat Iosephus de Vita filius, statim directas. Et iterum die 8. Augusti 1674. & demum 31. Octobris 1674. ubi dicit*: Sed contumax Auctor, ac votivæ obedientiæ immemor suo indulsit cerebro, non satis firmo, ac demum effecit, quod liber suus, tàm extra, quàm intra Italiam divagetur liberrimè::: quamvis enim infœlix Auctor nulla, inter Nos polleat auctoritate, vel eruditionis fama, &c. *Novissimè autem R. P. M. Augustinus Pipia, postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis, in Actis Capituli Generalis*

ralis ipsius Iosephi de Vita librum prohibuit, & damnavit. Unde constat quæ auctoritas sit adversus communem nostram doctrinam magnificata. Si autem approbatio libri objiciatur, contemnenda est illa, quæ perfunctoriè, ut communiter accidit, exhibetur. Imò Auctor ille cautè editionem procuravit, additis aliquibus punctis, quæ PP. Aprobantes discutere non valuerunt.

Immiscuit prædictus Iosephus de Vita, nescio quæ miracula D. Augustini, & Thomæ, quibus ad impugnandam prædeterminationem est motus. Ego judico, non miracula esse, sed deliria. Si autem Adversarij verum miraculum credant, tenentur etiam admittere ipsius placita à pag.13. usque ad 37. in quibus doctrinam Iesuitarum carpit. Et à pag. 128. usque ad 141. ubi impugnat scientiam mediam, & stabilit Decreta Thomistica, licet explicet infallibilitatem effectus, sine motione Thomistica, ex ordine Divinæ Providentiæ. Quia, igitur, ille Auctor sic procedit, Adversarij nostri, vel debent eum despicere, dum contra nos agit, vel debent laudare; dum contra eos scribit. Nulla est Familia, nulla Religio, nullus cœtus, in quibus, unus, vel alter, à communi sensu non deviet, vel cerebri infirmitate, vel animi passione, vel aliorum solicitudine; ideoque ego, ex Doctorum, & Religiosorum ordine, non in favorem nostrum, nisi Auctores venerabiles exposui; unde pro veritate, etiam Adversarijs indicabo Fr. nostrum Vincentium Mirgaltio, qui inscijs Collegij Moderatoribus defendere Theses contra Præmotionem curavit, & probibitus fuit, imò & severè penitus à R. Antonino Cloche Magistro Ordinis. Sed quid infirmi cerebelli viri, contra universam Religionis scholam? Quia tamen Pater Platellius in editione Duacensi illius libri, eam posuit epistolam, quã ad ipsum Vita direxit, R.P. M. Passerinus, Ord. Præd. Romæ Procurator, in qua ejus doctrinam commendat, ut bonam, & aptam instructioni Thomisticæ; notare oportet epistolam esse directam 17. Novembris 1654. & primam editionem fuisse Panormi anno 1665. undecim annis intermedijs; & sic colligimus Approbantes legisse in tali opere doctrinam Thomisticam, & Iosephum de Vita illam postea mutasse. Et quomodo posset M. Gigante celebrare in sua censura decreta antecedentia, & efficatia, ut ibi defensata, nisi in opere illo videret contineri? 342

Robertus Olcot, immeritò in Codice D. Collados, exponitur inter Nominales, & contra Nos, num. 26. qui plura scripsit, sed pauca ejus opera publicæ luci sunt data. Legat illa qui velit, & ostendat illum nobis adversantem. Theses etiam contra nos asseruntur habitæ Avenione die 12. Augusti anni 1666. in Capitulo Provinciali, contra totam doctrinam Thomisticam, quæ ponderantur à Doctore Collados, & à P. Aranda, ex Henao, & alijs. Hæc fabula seipsa corruit, cum nunquam celebretur Capitulum Provinciale in mense Augusti, juxta morem Religionis. Deinde, quis credat tales Theses, coram Patribus Provinciæ, habitas, adversus legem strictè præcipientem, defendere doctrinam scholæ Thomisticæ? Annumeretur etiam contra nos Ambrosius Catherinus, Episcopus, qui Concilio Tridentino interfuit, homo ingenio tumidus, & novitatum amator, contra quem jam Theologi Ordinis Prædicatorum, insurrexerant, coram Paulo III. anno 1546. 343 Theses. Catharinus.

notantes quinquaginta assertiones ejus, adversus communem Scholasticorum sensum; & quem Mag. Soto acerrimè impugnavit, quasi Theologum Novitium. Vid. num. 256.

PUNCTUM ULTIMUM

EXAMINATUR VICTORIA SCIENTIÆ MEDIÆ, procul ab injuria Iesuitarum.

OBIECTIO.

Hæc illa est (*scientia media*) quæ favente tota S. Patrum manu, natà fœliciter in sinu nostrorum, excepta est mille sybillis, & calumnijs adversantium, è quibus totidem sibi peperit, in aperto disputationis Campo Triumphos. *Aranda in Præfatione lib. 5. num. 1.* scientia media est, non jam victrix, sed victoria. *Ita Lector Modernus in suo Codice à num. 601.*

RESPONSIO.

344 QUis non videat, quemadmodum hic error, de judicio, ubi convictus, atque damnatus est, tanquam de victoria glorietur? *Ajebat Augustinus lib. de gestis Pelagianorum cap. 29. Quæ quidem verba ab Augustino scripta circa illum errorem, usurpo circa opinionem scientiæ mediæ, sed omninò citra ullam censuram, utpote ab Innocentio X. prohibitam. Vix, ergo, Adversariorum volumina contrectabis, quin victoriam legas scientiæ mediæ adscriptam, & per centum, & amplius annos recantatam; ex quo, suspenso Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio, Salmanticæ, Vallisoleti, Valentiæ, & alijs Hispaniæ Civitatibus, publici gaudij significationes sunt visæ, agitatione taurorum, ignium volatilium apparatu, & triumphali Arcu, in cujus fronte litteris aureis, hæc eminebat inscriptio:* Molina victor. *Hinc M. Placidus de Puga Benedictinus, approbans Historiam P. Henao, scripsit:* Vicit Molina, & primam victricem palmam scientia media tulit. Actore enim non probante, nedum absolvitur Reus, sed in Delatorem victor assurgit:: ventilabro veritatis, (*P. Henao*) quam certa scriniorum fides testatur, & instrumentorum auctenticè communit auctoritas, veras à falsis novellis narrationibus repurgat. *Quo circa Theses Cadomensium habitæ die 13. Maij 1699. apud Iesuitas, in 8. columna, hæc exponebant:* Ea doctrina (*scilicet P. Molinæ*) multis in locis judicia multa subjit, & habuit ubique præclara innocentiæ testimonia; ubique victoriæ defensivæ palmam obtinuit. *Sic loquitur Aranda disp. 26. sect. 1. à num. 116. Marin hic disput. 11. sect. 1. Et quia P Aranda, prout in titulo, subjunxit:* Tandem ex Decreto Pauli V. Pontificis Maximi permissa liberè doceri, evulgarique, plaudente littera-

rarum orbe, victoriam reportavit. *Et ex Decreto Innocent. X. non licet ullam proferre censuram, aut allegare Bullam Pauli V. quia Pontifex vetat fidem dari scriptis à Francisco Pegna, aut à Mag. Lemos; omnia hæc in examen trahimus, sub observantia Decretorum, quibus Summi Pontifices, nos monent à censuris abstinere.*

Mihi P. Henao, discernendi controversias, præbuit exemplum, & simul monita, ne Innocentij Decretum, aut in minimo videar infringere. Sic enim ille in Præfatione scribit: Fateor adducta à me olim fuisse, & nunc repeti plura fragmenta orationum habitarum coram Clem. VIII. & Paulo V. super quæstione de Auxilijs; sed, non à Francisco Peña; neque à Thoma de Lemos, neque à Jacobo le Bossu, cujus M. SS. narrationes de ea quæstione solent citari ab Auctoribus Gallis, & quæ nomine Prælatorum, ac Theologorum censeo denotari in exaratis verbis Innocentij X. Orationes illæ non sunt Acta Congregationum. *Ad monitus, ergo, à P. Henao, non* illa Acta, *quibus fides non est danda, expono; sed tantum narrationes ipsius P. Henao, & aliorum Theologorum ex Societate, quibus an debeat fides dari, lector discernet, in subsequentibus propositionibus, quæ satis notam involvunt contradictionem.* 345 *Henao de Actis.*

1 Nulla sunt Acta, apud Jesuitas, circa illa, quæ fuerunt disputata in congregationibus, de Auxilijs. 346

2 Aliqua sunt Acta apud Jesuitas, circa illa quæ fuerunt disputata in congregationibus de Auxilijs.

Prima propositio est, apud Henao, in Prologo scientiæ mediæ, num. 8. ubi ait, quod non vidit Acta, sed solum aliquas orationes, vel declamationes, subjungens: Nullusque nostrorum, cujus scripta à me sint visa, curavit de Actis conficiendis; sed tantum de conservandis orationibus, quas antea, scripto, & memoriæ tradditas recitabant nostri, sine interruptione ulla, in præsentia Summi Pontificis. *Et tract. de scientia Dei media, Theologicè defensata, num. 62. ait*: Acta conscripta in favorem nostrum, nulla extant, sed solum orationes, seu declamationes recitatæ à Valencia, Arrubale, Bastida, super punctis præscriptis à Clemente, & Paulo.

Secunda propositio est apud ipsum Henao event. 3. num. 119. dicentem: Non dubito, quin, quicumque, ut ego, viderit Congregationum Acta, accusabit censores in multis. *Et event. 5. num 156. ait*: Bastida in postremis constitutus, testamento legavit Collegio Societatis Vallisoletano S. Ambrosij: : ingentia quatuor volumina, continentia controversias, & Acta Romæ habita de scientia media, & auxilijs: : usui nobis fuerunt prætiosissima illa volumina, ad conficiendum hunc tractatum. *Considera lector, P. Henao, hic dicentem, vidisse* illa Acta Romæ habita, *quæ nulla esse apud Iesuitas dixerat in Præfatione, & in tract. Theolog. de scientia media.*

1 Acta illa Romæ habita, favent Professoribus scientiæ mediæ. 347

2 Acta illa Romæ habita, non favent Professoribus scientiæ mediæ.

Prima propositio, est apud Aranda, in objectione. Apud Henao, in plu-

pluribus locis; pro quo M. Puga Benedictinus in approbatione scientiæ mediæ Historicæ P. Henao, ait: Vicit Molina, & primam victricem palmam scientiæ mediæ tulit. Actore enim non probante, nedum absolvitur Reus, sed in Delatorem, victor assurgit: : ventilabro veritatis (*P. Henao*) quam certa seriniorum fides testatur, & instrumentorum auctenticè communit auctoritas, veras à falsis novellis narrationibus repurgat. *Vid. Aranda disp. 26. sect. 1. Marin disp. 11. sect. 1.*

Secunda propositio est P. Henao, querulum exprimentis animum event. 3. num. 119. sic: Sanè censores, celeriùs quàm par esset, decreverunt de Molinæ concordia in undecim congregationibus à die secunda Januarij, usque ad tertiamdecimam Martij; in eisque, reas peregerunt innumeras propositiones Molinæ. Vix sufficiebat illud tempus, ad legenda, & meditanda scripta Molinæ. Nulla autem res festinata, simul, & examinata esse potest. *Et num. 120. subjungit*: Ipsi censores, meliori consilio, cum sexaginta antea propositiones, præsertim reprobassent, postmodùm ad viginti sese coarctarunt; circa quas, censuræ, etsi limatiores, hominum sunt, quærentium nodum in scirpo, salebras in plano, parumque expertorum in negotio Theologico. *Nota, qualiter Henao loquitur de Clem. VIII. Theologo Doctissimo, & Cardinalibus, & Episcopis, aliisque insignibus Religionum Magistris, Ordinum diversorum, inter quos eminebat Card. Belarminus; & rursus attende, quid scripserit Fr. Petrus à S. Iosepho Congregationis Fulliensis, quem P. Henao, vocat præstantissimum Theologum event. 3. num. 107. & illum dicit Cisterciensem Monachum*, & ardentem Propugnatorum scientiæ mediæ. *Hic ergo vir, ita scientiæ mediæ addictus, in suavi concordia, disp. 4. sect. 4. num. 4. (agens de Diario Historico Iacobi le Bossu, vel Bossutij, Benedictini, qui, utpotè censor, & Congregationum Theologus, tale adaptavit Diarium) ait*: *Diarium Bossutij*, apertè favet Dominicanis.

348 1 Examen circa opinionem Molinæ, fuit prolixum, & accuratum.

2 Examen circa opinionem Molinæ, non fuit prolixum, & accuratum.

Prima propositio, est P. Francisci Perrini, qui in Thesibus Scholasticis, & Historialibus, anno 1681. pag. 13. sic scripsit: Post longum, & accuratum causæ examen, libera mansit, & incolumis scientia media. *Quod amplius in sequentibus constabit, ex P. Ripalda, circa secundam propositionem statim exhibendam, num. 341.*

Secunda propositio est P. Henao, juxta dicta ex ipso, num. 339. dicentis examen illud fuisse celerius, quam par erat, & festinatum.

349 1 Congregationes illæ non fuerunt habitæ, more judiciorum.

2 Congregationes illæ fuerunt habitæ, more judiciorum.

Prima propositio est P. Annati, disp. 4. de scientia media cap. 1. n. 21. scribentis: Liquet, congregationes hujusmodi, nequaquam habitas more judiciorum; itaut post causam utrinque disceptatam censores convenirent cum Pontifice, singulorumque suffragia inquirerentur.

Secunda propositio est P. Serlogi, sub nomine Pauli Leonardi latentis,

qui

qui 1. *part. sect.* 4. *num.* 21. *ait*: Licet qualis extiterit minutatim publici examinis censura, prorsus ignoremus, quia originalia acta consulere non licuit, tamen si ex effectibus, & fama divinandum est, magna spes est, lata tum suffragia pro scientia media. *Expressius P. Henao, ex P. Ripalda, hanc propositionem primæ contradictoriam statuit event.* 14 *num.* 366. *sic*: Finita disputatione egrediebantur foras, Generales, Dominicanus, & Jesuita, cum socijs; continuòque in eadem congregatione, censores coram Pontifice, & Cardinalibus, de re, utrinque diserta censebant, scribente censuram secretario, & sub gravibus pœnis, secretum omnibus præcipiente Pontifice. At post congregationem septimam usque ad ultimam, unà cum disputatione Theologorum, dissolvebatur tota congregatio; dieque proximè sequenti, censores designati ad censuram rei, die præcedente examinatæ, conveniebant, &c. *Mirare lector, quod P. Henao, hæc, ex suo Ripalda transcribens, dicat fuisse examen non maturum, sed* celerius quàm pareffet, *& festinatū.*

1 In congregationibus non fuerunt inquisita censorum suffragia. 350

2 In congregationibus fuerunt inquisita censorum suffragia.

Prima propositio, est, P. Annati, ubi supra, num. 341.

Secunda est, apud Serlogum, ubi supra, num. 341.

1 In congregationibus non fuit disputatio de Prædeterminatione. 351

2 In congregationibus fuit disputatio de Prædeterminatione.

Prima propositio, est P. Perrini, ubi supra, num. 340. *si addas hæc quæ subjungit*: De Prædeterminatione physica, quid futurum sit, si eam aliquando in tam sancti judicij fornacula ardere contigerit? Incertum est. Vos dicite posteri. *Similiter P. Ortega controv. de Deo uno, disp.* 1. *quæst.* 4. *cert.* 3. *ait*: Non fuisse Romæ disputatum de gratia efficaci, & Prædeterminatione circa actus liberos bonos.

Secunda propositio est P. Henao event. 9. *num.* 186. *scribentis*: Cum deventum est ad Prædeterminationem physicam, tota disputatio 42. fuit de S. Augustini, circa eam, mente; & 46. de S. Thomæ. *Et event.* 14. *num.* 354. *addit*: Fuerat in votis Patrum Dominicanorum, ne de physica Prædeterminatione, nisi semel tractaretur, imò ne semel quidem:: ne, si Prædeterminatio physica ab ipsis asserta vocaretur ad prolixum examen, viderentur esse jam, quasi Rei, cum tamen ad Tribunal Pontificium accessissent tanquam Actores: : Nihilominus Bastidæ oratione motus supremus Ecclesiæ Antistes decrevit disputari, non perfunctoriè, & levi manu, sed intensè, diffusè, totoque conatu. *Sic etiam Tannerus disp.* 6. *quæst.* 2. *d.* 5. *de gratia, facit mentionem de Decreto P. Aquaviva, quo Theologi Societatis, in exponenda efficacia divinæ gratiæ, jubentur sequi sententiam, quæ coram Clem. VIII. & Paulo V. in congregatione de auxilijs explicata, & propugnata fuerat; quamque viri sapientes, & eruditi S. Augustino, & Thomæ conformiorem censuerant. De quo mentionem facit M. Fr. Bartholomæus de los Rios, supra citatus, ex quo habetur, quod testimonio P. Ortega, & P. Tanero eadem contradictio componitur circa* gratiam efficacem.

si ex his successibus divinandum est, Societatis doctrinam, tametsi undequaque petitam, salvam permansuram. *Testimonium est Nobilis Hispani cubicularij. At, posset P. Henao nomen exponere. Testes sunt PP. Arana, & Valdivia in M. S. C. de vita Suarij. At, si P. Henao, dissentit nostro coaetio, circa M. Lemos, vultu radiantem, dum ageret contra scientiam mediam event.* 14. *num.* 381. *ejus exemplo, prædictis non assentio, quousque validiora inducat testimonia. Forte adjecit robur, in testimonio V. P. Ludovici de la Puente, cui, ad sui, & Sociorum solatium, dixit quædam Persona eximiæ virtutis*: : Gloriosissimum Parentem S. Ignatium anno 1600. cum 1603. dixisse ipsi, Societatem non iri confusam in controversia tunc agitata, probabilitatique defensatæ opinionis suum locum non defuturum. Et sic etiam (*ait Henao*) scriptum reliquit Ludovicus ipse in vita inedita præclarissimæ Virginis Marinæ de Escobar, fundatricis Recollectarum Birgittensium, exqua illud novit. *Mirabile est, quod S. P. Ignatius, vivens, voluerit suos doctrinæ D. Thomæ adstrictos; & quod in cœlo existens, veniat ad approbandum discessum à doctrina D. Thomæ, quem ipse Molina fatetur.*

Ipse Henao num. 148. *supponit Clem. VIII. improbare sententiam Molinæ, sed ut Doctorem particularem, & ideo non officere opinioni Societatis, sub exemplo Ioan.* 22. *qui ut doctor privatus erravit; & num.*151. *ait*: Quo tempore sinistra fama de Clem. VIII. averso in nostram sententiam animo implebat Hispaniam. *Quomodo erat sinistra fama de aversione Clementis, quæ paulo ante supponitur?*

*Festivè item excipiendum est, quod P. Henao profert event.*45. *n.*1229. *ubi post syllabum Auctorum, quos ut Magistros, & scientiæ mediæ, coacervat, defensores, notat in Ordine Prædicatorum, esse plura Gymnasia publica, quàm in Societate, & in aliquibus Academijs Dominicanos proprias Cathedras habere; ut hinc deducat attendendum esse potius numerum Auctorum, pro scientia media. Imò addit* : Ex Dominicanorum PP. externos Asseclis, nonnullos adeò in Scholæ Dogmatibus se seipsos adstrinxisse, atque devovisse, religioni habentes, ne, vel in uno Theologiæ apice ab ipsis discedant. *Sic ille num.* 1228. *O bone Deus! Inter nos est divisio ab Henao, & à D. Collados, novissimè decantata, in pluribus Theologiæ punctis; & ita nobis in Schola, omnes Thomistæ adstringuntur, quod non discedunt à nobis* in uno Theologiæ apice. *Quid est hoc? Si Dominicani in pluribus divisi sumus, Adhærentes externi, in aliquo, ab aliquo discedant. Si Scholæ nostræ, cum Gonet, dicimus unitatem, ridet Aranda, rident, & alij, & P. Henao, non permittit discedere Thomistas à Thomistis* in uno Theologiæ apice. *Hæc sufficiant pro vestra instructione.*

FINIS.